### Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

### Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

### Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`

13. K. 25.

Digitized by Google

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

13.K.25

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# SYNTAXIS RESOLVTORIA PRO VNOQVOQVE

Ab Ariſtot. conſiderato in Philoſophia tam Naturali, quàm Diuina.

*Nunc ad omnium vtilitatem, ac ad veritatis gloriam*
In lucem edita

*A R. P. PANTALEONE PANVINIO*
*Cremonenſi, Congregationis Somaſchæ,*
*Theologo, & Sancti Auguſtini*
*Taruiſij Præpoſito.*

AD ILLVSTRISS. ET REVER.
D. D. FRANCISCVM IVSTINIANVM
Taruiſij Epiſcopum.



*Taruiſii, Apud Aurelium Reghettinum.*

M. DC VI.

Digitized by Google

Digitized by Google

# ILLVSTRISSMO.
# AC REVERENDISS.
# DOMINO
# D. FRANCISCO IVSTINIANO
## Taruiſij Epiſcopo,

*PANTALEON PANVINIVS*
*Perpetuam Felicitatem.*

OFFERO *tibi munus, Antiſtes Illuſtriſſime, ſi vel ſuæ, vel tuæ dignitatis rationem habeas, perexiguum, ſi virium mearum, mediocre, ſi voluntatis meæ, atque ani-*



Digitized by Google

*mi, planè magnum. Vigiliæ ſunt quadam meæ in Peripatetico puluere, nocturnæq. lucubrationes, non illæ quidem breuiori ſcripto compendiariæ, quàm faciliori opuſculo fructuoſæ; Redacta eſt enim in hanc, veluti quandam paucorum foliorum periodum, Ariſtotelis vtriuſq; tàm Diuinæ, quam Naturalis Philoſophiæ omnis doctrina; opus re vera nec laboris exigui; nec vnius diei, vel noctis, quantò tamen vni mihi laborioſius, tanto, (ſi mihi de te aliquid polliceri tua cum venia poſſum,) tanto inquàm tibi, cui volentibus ſic amicis, & imperantibus editum, ac diuulgatum à me inſcribitur, futurum gratius, & acceptius. Compertum enim eſt, quàm multi facias ſtudioſorum hominum qualeſcumque vigilias; quàm valdè ames, & amplectaris non ſolum egregios cuiuſque conatus, quod ſapientis*

*eſt*

*eſt Principis; verum etiam animos; quod liberalis, ac perhumani. Quæ tua quidem ſingularis beneficentiæ ſumma virtus, hoc vnum præcipuè in multis facit, vt diligaris ab omnibus; vt colaris; hic verò potiſsimum quaſi nouus Mecœnas aliquis de Cœlo nuper in hanc ipſam vrbem inuectus, non vna voce, ſed vna tamen mente Ordinum omnium conclamaris. Verè enim hoc dicam, cum omnes, de facie qui te norunt, ita te ament, vt eorum ſit nemo, qui ſe ſtudio, atque obſeruantia tui cedere cuiquam putet; tum etiam ij omnes, qui te nunquam viderunt, ſed ad quos tamen tuarum laudum peruenit fama, diuturna, & accurata notatione tuorum encomiorum ad te amandum mirificè, ferendumq. vt ſic dicam, in oculis inflammantur: Quid eſt enim, quod ad conciliandas, ac deuinciendas hominum*

voluntates plurimum valeat; quin ipſum hoc in te vno ex omni parte perfectum reperiatur? Nihil hic de ſumma, atque antiquiſſima Gentis veſtræ nobilitate, qua Venetos inter Patritios, nobiliſſimos Ciues, tanquam aliquot inter ſydera. Iuſtiniani omnes velut ſoles quidam lucidiſſimi fulgent; Nihil de toto illo bonorum genere, quod ita veſtrum eſt, vt etiam ſit plurium aliorum; habent hæc in alijs ſuos etiam amatores; In te verò non hæc amantur; non commendantur, amaris, & commendaris tu ipſe: Amatur præſtantia, & magnitudo animi tui; qua, quod inſigne tuorum eſt omnium, ſublimius euolantem, altasque nubes prætereuntem Aquilam prærepta veluti gloria tuis omnibus, uideris feciſſe hoc tuum proprium, ac penitus tuum: Amatur claritas virtutum tuarum, qua is vnus es, dicam ſine aſſentatione,

ne,

*re, est, quod de veris amicis dicebat il-
le, duo ad ſummum; aut tres pares
inueniantur. Amatur pietas, & hu-
manitas, qua non ita quidem in hanc
vrbem à Deo demiſſus, omnium tibi
Ciuium voluntates, & corda in per-
petuum obſtrinxiſti; Amantur mores
illi tui; vt Poeta loquitur, planè au-
rei, quibus nemo vnquàm bonus te-
cum potuit biduum viuere, quin, vt
ſibi totam ætatem exigere tecum liceret,
optauerit. Sed nolo nunc plura dicere
de te, nè tibi moleſtus ſim. Equidem
cùm de ſcriptis meis laborare non ma-
gnopere ſoleam, tamen hunc libellum
præcipuè cupio & celebrari nunc, &
ad Poſteros peruenire, vt extet ali-
quod teſtimonium iudicij de tuis uirtu-
tibus mei, ſimulque Somaſchenſium
meorum Patrum, quorum omnium
nomine meum hoc tibi opuſculum nun-
cupo, tenue quidem, ſed tamen ali-*



Digitized by Google

*quod ſuæ erga te obſeruantiæ monumentum. Vale.*

*Ad*

EXPEDIAM, Lector Amiciſſime, te non multis; habes ĩ hoc meo Syntaxis Opuſculo colligatã, breui quaſi quodam Epilogo, Doctr. Peripateticæ tàm in Phyſ. quàm Metaphyſ. omnem ſummam, & tanquam in anguſtiſſimo aliquo, minutiſſimoque poculo, quos ſalutariter haurias, expreſſo herbarum plurium maximos ſuccos; Commodum ſanè opus, cuius & doctrinæ ratione, & eiuſdem non obſcura breuitate plurimum capiaris, eiuſdem operis errata, optimè caſtigata in fine duodecimi Metaphyſicę poteris animaduertere. Accipe igitur libenti animo meum hunc alterum quantumuis

te-

Digitized by Google

tenuem fœtum, eoque ſic vtere vt beneuolentia me tua ad procreandos in poſterum partus alios longè etiam prioribus meliores moueas, & inflammes.

Digitized by Google

# AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. FRANCISCVM IVSTINIANVM, Taruiſij Epiſcopum.

## De eius Stemmate Epigramma.

## Incerti Auctoris.

STemmate collucet Prȩſul crux aurea veſtro,
Binis & roſtris vngue ferox Aquila;
Claudit ſtemma orbis. Fiunt hæc numine Diuum
Præſul, quæ fauſtum ſæpius omen habent.
Crux ſceptrum, regale decus, ſuperiſq. poteſtas
Maxima Romano credita Pontifici.
Imperij ſignum eſt Aquila, hanc in prælia fortes
Geſtauere, orbem qui domuere, Duces.
Imperio dabitur Præſul, Sacroque potiri
Sceptro, nec vanum ſtemmatis omen erit;
Tuque Silim rapido mutabis Tybride, littus
Romuleis ſeptem collibus Adriacum.

Digitized by Google

# IN ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. FRANCISCVM IVSTINIANVM Epiſcopum Taruiſinum.

*Ex Stemmate Auſpicium.*

## PANTALEONIS PANVINII.

CVR *capita extollat, Pater Illuſtriſſime, querũt,*
*Ales bina tuo Stemmate Sacra Ioui.*
*Fælix omen ineſt, nitidus iam Mitra ſiniſtri*
*Eſt ſplendor, dextri moxq. Galerus erit.*
*Vertice quod fulget, vexillum tramite recto*
*Orbem colluſtrãs trina Tyara geret.*
*Te manet hæc, proles ò Iuſtiniana, trilingui*
*Vrbis cui triplicis ſceptra dat ore Deus.*
*Quid Crux, Orbis, Auis portendunt? iure tenebit*
*Cęſarea ĩ terris cęlica ſceptra domus.*

IN

# IN ADMODVM R. P.
# Pantaleonis Panuinij Somaſchenſ. Familiæ Taruiſinæ Præpoſiti.

*Ariſtotelis Stagiritæ Dilucidationes.*

## Bartholomæi Burchelati Phyſic. Tetraſtichon.

*EXit Ariſtoteles noſtro clariſſimus æuo:*
*Candidus: ex omni denique parte nitens.*
*Sepiæ atramentum ſublatum: lucida cuncta;*
*Hocq; eſt Panuinij Pantaleonis opus.*

Digitized by Google

## *Ad Lectorem.*

Librum, quem tenui verſas, arctaque pagella
Incluſum, vt munus ne leuidenſum putes.
Nobile ſtat paruis clauſum conchylibus oſtrum,
Hac & Ariſtotelis cortice dulce σοφῶν
Ac veluti nitidus ſol noctis diſcutit vmbras;
Haud aliter mentis dogmata Ariſtotelis.
Ergo legas, quem ſemper ames; non deſpice lector,
Eſt liber exiguus, ſed mage gratus erit.

# Ad Operis Auctorem.

## HIERONYMI FLISCI
## *Congregat. Somaſchæ.*

HAud ſatis eſt apibus campum percurrere, flores
Vnde legant, ſubeant vtilitatis onus;
Ocia at exoſas, conſerto examine, rorem
Libandi ſtudio plura per arua vides.
Inde fauos repetunt prægnantum more, recentem
Gaudentes partum, dulcia mella, ferunt.
Paſcua Panuini luſtraſti ſacra, thymoſque
Legiſti, hinc omnes vtile Nectar habent.
Atque modo egregij concepto ſemine cãpi
Editur ingenij, nobile Nectar, opus.
Lętitiam cupiens animi, & medicamina, doctus
Quæ fert Pantaleon, vaſa liquoris amet.

*Ego Mauritius de Domo. C. R. Congreg. Somaſch. & Seminarij Ducalis Rector opus hoc cui tit. eſt Syntaxis, & cæt. diligenter a me lectum impreſsione dignum iudicaui.*

*Ego Zacharias Andrianus S. Theologiæ Doctor legi hunc librum, in quo, vt videre potui, nihil inueni, quod ortodoxæ fidei, bonis moribus, principibus ſit contrarium, & ita &c.*

*Nos Gugliel. Bramicellius Præpoſitus Generalis C. R. Somaſch. Superioribus atteſtationibus viſis hoc opus, quod Syntaxis intitulatur, approbantibus, vt in lucem prodeat con, cedimus.*

*Attenta fide F. Paulus Sanſon Inquiſitor Taruiſii admittit, vt imprimatur.*

*Ego Io. Franciſcus Gandinus, Canc. deputatus pro Illuſtriſs. D. Epiſc. admiſi.*

*Ego Franciſcus Teupolus Poteſtas, & Capitaneus Taruiſii.*

Digitized by Google

# LIBER PRIMVS PHYSICORVM.

SIC diſcurrit Ariſtoteles in primo capite. Quoniam vnaquæq; res per ea cognoſcitur, per quæ conſtituitur, & vnaquæque res habet ſua principia, primo loco agendum eſt de principijs. Sunt autem principia, quæ nec fiunt ex alijs, nec ex alterutris, ſed omnia ex ipſis; ſed quia poſſet eſſe dubium, quomodo principia poſſint ſciri, dicit progrediendum eſſe ex his, quæ ſunt notiora ordine naturæ, qualia ſunt vniuerſalia, & confuſa. Probat ſecundo loco, principium non eſſe vnum, quia res inter ſe diſtinguuntur; non eſſe infinita, quia infinitum eſt ignotum. Tertio loco, probat principia eſſe contraria, quia quod generatur, compoſitum eſt, & hoc conſtat ex contrarijs. Verùm, quia contraria requirunt ſubiectū in quo recipiātur, tria erunt



Digitized by Google

principia, materia nempe, forma, & priuatio.

In ſecundo capite, probat Ariſtoteles neceſſitatem principiorum, & ſic diſcurrit; Principia vel ſunt vnum, vel plura, ſi vnum, ergo mobile, vel immobile; ſi ſecundum, ergo finita, vt ponit Plato, magnum, paruum, & vnum; vel quattuor elementa, vt Empedocles; vel par, & impar, vt Pythagorici; vel infinita, vt Eleuſippus, & Democritus, qui poſuerunt corpuſcula, & atomos, vel vt Anaxagoras, qui particulas inter ſe contrarias; vel certe principiũ vnum erit, & hoc finitum, immobile, vt Parmenides, vel infinitum, vt Meliſſus, vel mobile finitum, vt Hipaſus, Heraclitus; aut infinitum, vt Diogenes, Anixamones, Mileſius, Anixamander. Thales Mileſius, qui ponit aquam, Anixamander aerem, Heraclitus ignem, Diogenes medium quoddam inter aerẽ, & ignem, Empedocles, Anaxagoras commixtum quoddam.

In tertio capitulo, ponit Ariſtoteles, argumẽtum Meliſſi, probãtis principium eſſe vnũ, hoc medio: id, quod eſt genitum, non eſt, ergo nõ habet principium, ſed quod caret principio, caret, & fine, & eſt infinitum, ergo, & immobile, quia non poſſunt plura dari infinita, quod autem, genitum non ſit, patet, quia non eſt genitum ex non ente, cum ex nihilo nihil fiat, non ex ente, quia eſſet, antequam ge-

nera-

ϊeraretur, reſpondet Ariſtoteles, quod Meliſ-ſus errat, quia aliud eſt loqui de principio temporis, aliud rei; nam cęleſtia genita non ſunt, & tamen habent principium magnitudinis: Parmenides ſic ſyllogizat, quod eſt præter ens, eſt non ens, ſed vno tantum modo dicitur vnū, igitur vnum eſt ens, & hoc immobile, quia nō datur à quo, & ad quod moueatur: reſpondet Ariſtoteles, non vno tantum modo dici vnū, quia plura alba non ſunt vnum continuatione, nec ratione, quia albedo lapidis non continuatur albedini lactis, & in alio, alia eſt ratio, ac in illo.

In capite quarto docet, quomodo philoſophi concedentes motum, faciunt generationem; dicunt igitur dari quoddam corpus fluxibile, ex quo omnia per rarefactionē, & denſitatem fiunt, ita Galenus, & Hippocrates, alij dicebant generari ſeparatione, vt Anixamander, qui ex quodam aceruo infinito ſubſtātias rerum dixit ſeparari, & Empedocles, & Anaxagoras ex chaos, & hæc fuit cauſa quod Empedocles ſomniauerit litē, & amicitiam, vt ita res ſecernantur, & confundantur; Anaxagoras differt ab Empedocle, quia ponit non elementa, ſed atomos; reſpondet Ariſtoteles, quod non contingit omnia ſeparari, quia accidentia, & oēs qualitates non poſſunt ſeparari, cum ſeparatio fit illarum rerū, quarum eſt mixtio.


Digitized by Google

Secundo datur minima caro, à qua non poteſt amplius ſeparari caro, niſi detur minus minimo; deinde generatio non fit ex ſimili, vt caro ex carne, ſed per alterationem materiæ.

In quinto capite, tractat de conditionibus principiorum, & dicit quod prima cōditio eſt, vt non fiant ex ſe mutuo, ideſt, quod vnum nō tranſeat in ſubſtantiam alterius; ſecūda, quod duo ſint termini generationis, forma, & priuatio, & materia ſubiectum, rationes autem, quibus probat principia debere eſſe contraria, hæ ſunt: quia quodlibet non fit ex quolibet, nec quodvis agit in quodcunque, ſed ex contrario fit, & in contrarium corrumpitur. Secundo agens agit, vt aſſimilet ſibi paſſum, ergo eſt diſſimile, ergo contrarium; bene ergo philoſophi qui principia faciunt contraria, nam, & Parmenides, qui facit ens, dicit principia eſſe contraria, calidum, & frigidum, ignem, ſcilicet, & terram; alij rarum, & denſum; Democritus ſolidum, inane.

In capite ſexto probat infinita nō eſſe principia; primò, quia infinita non poſſunt cognoſci; ſecundò, quia in ſubſtantia vnum eſt genus, & in quouis genere vna contrarietas: omnis autem contrarietas duobus terminis abſoluitur. Duo igitur contraria ſunt, & principia contraria ſunt ergo, verum cum ex raro denſum fieri non poſſit, ſtatuendum eſt ſubiectū,

ideſt

ideſt materia, hoc ſubiectum quidam poſuerunt eſſe vnum ex elementis, quidam vnum corpus inter elementa, & hi melius cenſerunt, cum minus ſit obnoxium cõtrarietatibus, quæ coniunctæ ſunt elemẽtis: alij poſuerunt aerẽ, & hi etiam melius cenſuerũt, quia minus contrarietas eius ſenſu percipitur; poſt hos qui aquam, quippequæ poteſt calefieri, frigefieri, quod illi non poteſt cõuenire, quamvis tenuitatis meritò melius poneretur ſubiectum. In fine capitis docet duo agere, & vnum pati, contra Platonem, qui ponebat vnum agere, ideſt formam; duo pati, ideſt magnum, & paruum.

In capite ſeptimo, docet materiam cognoſci, non per ſe, cum non ſit actus, nec in ſua eſſentia poſſideat actum, ſed analogia, & hanc materiam dicit debere eſſe priuatã omni forma, quia ſi quam haberet, nullam poſſet recipere, quia ſuam ſimilitudinem præſeferret: hinc ſequitur non eſſe ignem, aut vnum ex elementis; quare male Plato, qui non dedit veram cognitionem an ſit diſtincta ab elemẽtis.

In capite octauo, ſoluit Ariſtoteles rationes Meliſſi, & Parmenidis, & dicit, nihil per ſe fieri ex ente, aut ex non ente, ſed per accidens; per ſe autem fit vnumquodq́, ex eo, quod partim eſt, partim nõ eſt, ideſt ex eo, quod eſt poteſtate, actu autem non eſt; ex materia autem



Digitized by Google

per ſe fit compoſitum, ex priuatione vero per accidens.

In capite nono, dicit Naturã materiæ ignorari à quibuſdam, cuius ſignum eſt, quia ab illis nulla aſſignatur ratio, & differentia priuationis, & materiæ; ideo ſicuti priuatio eſt non ens, materiam etiam dicebant non ens, & ſicut ex materia aliquid fit per ſe, ita dicebant fieri per ſe ex non ente, ſic. n. argumentabatur Parmenides, quidquid eſt, præter ens, eſt non ens, talis eſt materia, ergo. Reſpond. Ariſtot. eſſe non ens per accidens, ea videlicet ratione, qua comprehendit priuationem, priuatio autem eſt per ſe non ens, non tamen eſt ſimpliciter negatio, quia habet aliquid coniunctum, ratione cuius dicitur quodamodo ens. Cum igitur priuatio à materia habeat, vt ſit ens, pro tali beneficio, reddit maleficiũ, vt ex accidenti, videlicet ſit non ens; hæc igitur eſt differentia inter materiam, & priuationẽ, item materia non appetit ſe, quia ſui non indiget, nec priuationẽ, quia nihil appetit ſuũ contrariũ, ſed appetit illud bonum, quod eſt ſui perfectio, ſicut turpe pulchrum, & fœmina virum; ſed aduerte, quod ex accidenti materia, & fœmina eſt turpis. ex accidenti, ideſt, ratione priuationis, quomodo dicitur ẽt materia generari, & corrũpi.

Ariſtoteles poſt definitionem materiæ, eſt ſubiectum primum, &c. progreditur, & aſſignat

aſſignat proprietates illius, dicit enim primo materiam eſſe puram potentiam; ſecundo eſſe paſſiuam; tertio appetere formam, & formę opponit priuationem; ex quibus poteſt colligi, omni materiæ, etiam cœli, ineſſe priuationem, licet fieri non poſſit, vt illa corrumpatur, cum non ſit capax cœlum alicuius qualitatis, qua dimoueatur à ſuo ſtatu naturali impediẽte talem receptionem; nam appetitus generalis talis eſt, quod illi ſatisfit, per receptionem non cuiuſcunque, ſed nobiliſſimæ formæ.

## Dubitationes.

Dices, de quo ente eſt Phyſica? Reſpond. non de ente ſeparato à materia, re, & definitione, quia ſic eſt Logica, non ſeparato definitione; ſed nō re, quia eſt Mathematica, nō de ente, vt ſic, quia Metaphyſica, ſed de ente in materia, quod ens ſubijcitur motui.

Dices, quale eſt obiectū in Phyſica? Reſp. eſt ens naturale, nā ratio formalis ſubiecti eſt naturalitas, quia ad hanc omnia reducuntur, mobilitas, ſenſibilitas, &c. nam mobilitas non poteſt eſſe propriè ratio, quia cum ſit paſſio eſt demonſtrabilis; & quamuis eſſe ſit per ſe notum, cauſa tamen illius eſſe, poteſt demonſtrari, cum illa, quæ non habeant principium motus, non conſiderentur à Phyſico: quod ſi dicas ſubiectum eſſe notum, & tamen ſem-



Digitized by Google

per de illo eſſe quæſtiones. Reſpondeo eſſe per ſe notum, ſed ignotũ in ordine ad prædicatum, id eſt, an illi competat hoc nomen ſubiectum, ſicut quod ens dicatur de Deo, & creaturis eſt per ſe notum, ſed an vniuocè, vel æquiuocè eſt ignotum.

Dices, Ariſtoteles dicit, procedendum eſſe à notioribus, per notius quid intelligit? Reſpo. vniuerſale, quod notius eſt cognitione non diſtincta, ſed confuſa; nam vniuerſale prius eſt particulari ordine generationis, qui ordo ſumitur ab efficiente, quemadmodum particulare ordine perfectionis, qui dicitur ordo naturæ ſumptus à fine.

Dices, materia licet ſit ens naturale, non eſt ens mobile, & tamen conſideratur à Phyſica, quæ omnia tractat in ordine ad motum. Reſpondeo eſſe principium entis mobilis, qua ratione de motu tractat Phyſicus, vt nempe eſt paſſio; de tempore, vt menſura, de loco, vt continens; de Polis, vt ſunt id circa quod.

Dices, omnia fiunt ex ente in potentia, ſed hoc non contrariatur enti in actu, ergo non omnia fiunt ex contrarijs. Reſpondeo fiunt, vt ex ſubiecto, non vt termino.

Dices, priuatio eſt nõ ens, ergo non eſt principium, quia inter principiũ, & principiatum eſt relatio. Reſpond. eſt principium per accidens,

Digitized by Google

cidens; vel reale ratione ſubiecti, relatio autem eſt ſolum inter principium effectiuum; vel ſecundo reſpondeo, priuatiō poteſt conſiderari in ordine ad generationem, & rem genitam. Primo modo eſt per ſe principium. Secundario eſt per accidens, dico autem per ſe, ideſt neceſſarium, quia quod fit, non fit ex quolibet, ſed ex determinato, per accidens tamen poteſt quodlibet fieri ex quolibet, vel eſt per ſe, quia non poteſt cōcipi mutatio ſine termino à quo, qui eſt priuatio.

Dices, materia eſt ne ſubſtantia? Reſpond. ſic, quia ex ea componuntur omnes ſubſtantiæ naturales.

Dices, materia eſt ne in Cęlo differt ne à ſublunarii? Reſp. eſt aliqua dubitatio, quia 2. Cęli, tex. 71. dicitur; ſi adderetur Cœlo Stella, eſſet defatigatio, & tamen aliqui dicunt nō poſſe eſſe laborem, quia labor prouenit à materia, quæ non eſt in Cœlo. Reſpond. tamen, quod cum intelligentia ſit forma, & quælibet forma ſit in materia, vel non ſine materia, fatendum eſt in Cœlo eſſe materiam; verum cum inter Orbem, & intelligentiam ſit contradictio, quę eſt inter actum, & potentiam, debet eſſe proportio; quæ tolleretur ex additione Stellæ, & eſſet defatigatio, quia fieret additio ſuper potentiam motoris; an autem diſtinguatur hæc materia, quæ datur, diximus ſupra quod non,

nam

nam quod cœlum ſit incorruptibile, aliunde prouenit.

1 Dices, datur ne forma corporeitatis? Ratio dubitationis eſt, quia ſecundum Ariſt. 6. Phyſicorum. tex. 59. accidentia carnis inducuntur ante formam carnis, quod tamen non videtur uerum, quia actus ſecundus contra Diuũ Thomam præcederet primum. Reſpond. accidentia in fieri, ideſt, interminata præcedere, quod ſi dicas generationem eſſe mutationem totius in toto, dico accidentia non habere rationem ſubiecti, quia ſunt diſpoſitiones, quod ſi iterũ dicas, ergo migrant de ſubiecto in ſubiectum. Reſpond. quod non, quia ſubiectum radicale eſt materia prima.

Dices, cuius conſiderationis eſt? Reſpond. Phyſicæ, quatenus cognoſcitur per tranſmutationem, qua ratione probat Ariſtotel. dari materiam: Metaphyſicæ verò, quando per abſtractionem, & negationem cognoſcitur, quomodo non habet eſſe extra animam.

Dices, potentia eſt ne de eſſentia, cum iſta multiplicetur? Reſp. eſt, quia eſt pars compoſiti, & omnis pars habet potentiam, vt ſit in toto, multiplicatur autem, nõ realiter, ſed formaliter.

Dices, potentia vniuerſalis, & particularis diſtinguũtur ne? eſt ne eadẽ potẽtia ad formas ſubſtãtiales, & accidentales, naturales, & artificiatas?



Digitized by Google

ciatas? de facto poteſt ne recipere omnes formas? habet ne materia propriam exiſtentiã? poteſt ne exiſtere per potentiam Dei? appetit ne naturaliter formam? eſt ne ingenerabilis, & incorruptibilis? eſt ne tantũ vna numero omnium rerum? eſt ne cauſa corruptionis? eſt ne per ſe intelligibilis? Reſpond. breuiter, potentia vniuerſalis, & particularis non diſtinguntur, quia non eſt potentia ad formas vniuerſales, cum non ſint poſsibiles. ad ſecundum Reſpondeo eandem eſſe, quia definitur ſubiectũ cuiuſcunque ſubſtantiæ, & accidentis. Reſp. ad tertium eandem eſſe, ſed quo ad animam rationalem eſt tantum receptiua, & nulla eſt, quo ad formas abſtractas, & ſupra naturales, quia non eſt eadem ratio, eſt tamen eadem potentia ad artificiales, & naturales, quia poſſunt produci ab agente naturali, non ſic aliæ, & de facto non poteſt materia recipere omnes formas, quia materia, quæ eſt in centro terræ, nũquàm recipiet formam hominis. ad alia reſpondeo breuiter, materiam habere propriam exiſtentiam diſtinctam à forma, quia diſtincta productione eſt facta, & cum poſſit Deus ſupplere cauſam efficientem, poteſt ſine forma exiſtere, appetit autem materia formam appetitu innato, quia adeſt illi priuatio, quæ eſt abſentia formæ in ſubiecto apto, & hic appetitus, & ne detur proceſſus in infinitum,

quia

quia in generatione eſſet neceſſaria alia materia: eſt ingenerabilis, & incorruptibilis, & vna numero, quæ tranſit in omnes formas, & ipſa eſt cauſa corruptionis, quia ſemper machinatur maleficium formæ. Ad vltimum Reſpondeo, non eſſe per ſe intelligibilem, cũ non cognoſcatur per propriam ſpeciem. Ex quibus collige materiã nihil in ſe continere actualitatis, cum non poſſit alterari ſine agente extrinſeco.

Dices, qua ratione probatur dari formam ſubſtantialem? Reſpondeo, quia ex calore fit frigus, & datur tranſmutatio; ex quo colligi poteſt formam educi de potentia materię nihil aliud eſſe, quam formam dependere à materia, & productionẽ naturalem non eſſe creationem, quia creatio eſt ex nihilo: inſuper colligitur materiam eſſe cauſam formæ, ſuſtentando eam in fieri, & materiam eſſe cauſam compoſiti, quia concurrit, vt pars componens.

Dices, qua ratione probatur dari materiã? Reſpondeo, quia agens agit per motum, qui non eſt, niſi in ſubiecto. Secundo, quia ſubſtantia agit medijs accidentibus, ſed accidentia non ſunt niſi in materia. Ex quibus colligitur, dari reſolutionem in materiam primam, quia accidentia ſunt in ſubiecto, & formam eſſe diuiſibilem, quia ſi forma inciperet informare, deſtrueret propriam materiam, & ſic eſ-

ſit motus, cum tamen non poſſit per ſe forma moueri.

Dices potentia eſt ne de eſſentia? Reſpond. ſecundum Scotum, quod in primo ſigno naturæ non eſt, ſed vt dicit ordinem ad formam, alias eſſe materiæ eſſet ad aliud.

Dices, datur ne forma ſubſtantialis, vel accidentalis coæua. Reſpondeo non, quia non eſt actu, neque in loco, & quantitas eſt generabilis, & corruptibilis, non vero materia.

Dices, in quo differt materia à priuatione? Reſpōdeo, quia materia eſt ſubiectum ſuſtentans contrarietatem, quod debet reperiri in omni tranſmutatione, & priuatio eſt purum nihil formaliter in ſubiecto apto: eſt tamen principium, quia non poteſt concipi mutatio ſine termino à quo.

Dices, Ariſtoteles lib. 8. tex. 4. dicit ſi materia eſt denudata omni forma, non poteſt aliam recipere, ergo ſignum eſt ſemper habere formam. Reſpond. hoc dicit, quia ad generationem neceſſaria eſt alteratio, & ſubiectum alterationis eſt ens in actu, materia autem nuda non poteſt alterari, ideo ſi impoſſibilis eſſet alteratio, eſſet & generatio.

*Finis Primi Libri.*

Digitized by Google

# LIBER SECVNDVS PHYSICORVM.

ILLA, quæ natura conſtant, habent in ſe principium motus, quæ vero arte ſunt fabricata, per accidens, ſcamnũ enim deſcendit, quia ligneum.

Tria ſunt genera motus, localis, accretio, alteratio, Cœlum eſt principium lationis, elementa etiam alterationis, alia vero mouentur quocunque motu; verum, quia natura non eſt principium cuiuſcunque motus; ideo præter motum naturalem datur violentus, & præter naturam.

Poſt hæc probat Ariſtoteles Naturam eſſe formam, vel materiam, de materia patet, quia antiqui neglecta forma, id dixerunt; de forma eſt manifeſtum, cũ ſit potius, id quod eſt actu, quàm potentia; in fine capitis primi dicit priuationem eſſe veluti formam; quia ipſa afficitur materia, ac forma.



Digitized by Google

In capite ſecundo, dat diſtinctionem, ſiue differentiam, quæ eſt inter Phyſicam, & Matematicam, dicit Matematicam abſtrahere à materia, non Phyſicam, ſignum eſt, quia mediæ ſcientiæ conſiderant aliquo modo materiam, vt Aſtronomia, Proſpectiua, Muſica, quod nō facit Geometria. Poſtremò docet ad Phyſicum pertinere agere de materia, & forma, quia ad eandem ſcientiam ſpectat tractare de medio, & fine; finis autem eſt terminus ad quem, ſed differt, vt docet, Phyſica, ab artibus in conſideratione materiæ, & formæ, quia artes ſolum conſiderant materiam aptam ad formam, vt quæ inſeruiunt, vel formam, vt in materia, vt quæ dominantur; differt à Metaphyſica quia forma partim eſt ſimilis, partim non, vt enim facit vnum cum materia eſt ſimilis, & conſideratur à Phyſico, vt vero ſeparatur à Metaphyſico, ad quem ſpectat conſiderare, cur ſeparetur, & quam operationem ſeparatā habeat. docet in fine capitis ſolem, & hominem generare hominem, quia licet anima ſit ſeparata, non tamen generatur ab alia anima ſeparata, quia cum ſit forma in materia, generatur à forma in materia.

In capite tertio, agit Ariſtoteles de cauſis, quæ vel ſunt ſubordinatæ eſſentialiter, vt mas, & fœmina, intellectus, & voluntas in electione, vel accidentaliter, vt cum duo equi

trahunt

Digitized by Google

trahunt nauim, in cauſis per accidens ſubordinatis poteſt dari proceſſus non in primis; cauſarum cauſa dicitur eſſe finis, quia materia cum ſit rudis, nō poteſt per ſe mouere ad formam, nec forma illam reſpicit, niſi adſit virtus efficientis, nec efficiens, niſi motum, deſiderio finis.

In capite quarto. Quærit hic Ariſtot. an detur caſus, & fortuna, & docet quod Empedocles, & Democritus ſæpe confugiunt ad has cauſas, & Democritum docuiſſe, cœlum caſu eſſe adductum ad ordinē, & mundum ex concurſu atomorum, caſu genitum eſſe, & interiturum; verum potius plantæ, & animalia dicit Ariſtoteles, quā cœlum, quod conſtans eſt, & perpetuum, deberent eſſe caſu. Epicurei arbitrati ſunt fortunam eſſe diuinum quoddā, & admirandum numen, & hanc, & non Dei prouidentiam regnare.

In capite Quinto. Docet Ariſtot. quid ſit fortuna, & caſus, & ſic diſcurrit; rerum quædam fiunt plerūque, quædam neceſſario, quædam raro; effectus igitur qui raro fit, reducitur in cauſam, quæ dicitur fortuna, vel caſus, raro igitur illa fieri dicuntur, quæ plerumque contingentibus contraria ſunt, quæuè fiunt præter intentionem ſuę cauſæ, ſiue naturalis, ſiuè voluntariæ; illę etiam res, quæ non intenduntur a ſua cauſa, dicuntur fieri caſu, & fortuna; igitur

Digitized by Google

igitur caſus, & fortuna eſt cauſa per accidēs illius, qui alicuius gratia fit; pro qua re nota cauſam per ſe, & per accidens quę eſt fortuna, & caſus. eſſe eandem rem ſub diuerſis rationibus conſideratam, vt fodiens, verbigratia, ſepulchrum, vt ſepeliat, eſt per ſe cauſa foſſionis, eadem reſpectu theſauri inuenti, eſt cauſa per accidēs ideſt fortuna. Differentia eſt, quod illa eſt per ſe determinata, qui enim facit arcā, non facit currum, hæc enim eſt infinita, quia poteſt eſſe, vt inueniat theſaurum, quo ditetur, & viperam, qua moriatur: fortuna igitur eſt reſpectu effectus inopinati, differt à caſu, quia caſus fit in his, quæ præter intentionem, vel inclinationē agentis fiunt, vt ſi cadat lapis, & caput perfringat.

Fortuna alia eſt bona, alia mala, bona quando euenit bonum præter intentionem, mala, ſi malum, indifferens quando minus malum, vt ſi quis ingrediatur viam cadat lapis, frangatur, & bracchium, & non caput. Fortuna reducitur ad cauſam efficientem, quia fortuna ſemper eſt cauſa per ſe primi effectus intenti, quem ſequitur per accidens effectus fortuitus.

In capite ſexto, his duobus capitibus Ariſtot. probat Phyſicum debere conſiderare quattuor cauſas, quia conſiderat res non ſo-



Digitized by Google

ſum, vt ſunt, ſed etiam, vt fiunt, at omne fit propter finem: probat deinde naturã agere propter finem, quia ſi ars imitatrix naturæ operatur propter finem, multo magis natura; dat exemplum de ædificio, & de arboribus, & de animalibus, vt ſunt formicæ, & alia, quæ operantur propter finem; probat etiam id ratione, quia materia eſt propter formam. reſpondet deinde obiectioni quæ poteſt fieri de monſtro, & dicit, peccatum ideo accidere, quia non conſequimur propoſitum finem, quia igitur ſunt mõſtra, conuincitur naturam agere propter finem. Definit in fine capitis, quid ſit monſtrum: dicit eſſe indiuiduum quoddam animatum, notabilẽ habens deformitatem ab initio ſuæ natiuitatis, extraneam toti ſpeciei. & naſcitur aliquando ex paruitate materiæ, vel ex abundanti, ex debilitate agẽtis, ex falſis imaginibus. quod vero dicit Ariſtoteles, oliuas non eſſe ſemiuites arguit in Empedoclẽ dicentem ſic conſtare ex partibus ſeparatis diuerſarum ſpecierum.

Capite vltimo, docet Ariſtoteles, omnem neceſſitatem eſſe reducendã in finem; ideo enim oculi ſunt aquei, vt ſint idonei, vt poſſint recipere imagines, &c.

De-

## Dubitationes.

Dices, poteſt ne effectus corruptus idem numero naturaliter produci idem à duabus cauſis, qui ab vna eſt productus. potuit ne ab alia produci, effectus vno tempore productus potuit ne produci alio tempore? Reſpondeo naturaliter non eſt poſſibile, quia præteritum eſſet præſens. ad ſecundum reſpondeo, cum effectus non ſit indiuiſibilis, ſi agentia applicentur non eſt maior ratio, cur dependeat ab vno, quam ab alio, & vnus effectus productus ab vna cauſa potuit produci ab alia, quia idem calor producitur ab igne, & lumine; ſolum eſt diſtinctio per relationes, quæ ſunt extrinſecæ, & effectus productus vno tempore, potuit produci alio tempore, alias ſequeretur eſſe ordinem eſſentialem inter effectus.

Dices quomodo finis eſt cauſa? Reſpond. eſſe cauſam, cum tendentia ad bonitatē, habet enim rationem cauſæ, vt eſt in mente, ſed ratio formalis non eſt eſſe in anima, ſed eſt quoddam requiſitum accidentale, ſicut durities in ſera, vt poſſit ſecare.

Dices, in quo poſita eſt cauſalitas finis? Reſpond. in eo, vt ſit obiectū actionis; eſt.n. id propter quod, & præſente fine ceſſat actio.



Digitized by Google

Dices, ad quod genus cauſę reducitur Idea? Reſpendeo, ad genus cauſę finalis; quia concurrit per modum obiecti, ſicut finis.

Dices, agentia naturalia agunt ne ex natura propria propter finem? Reſpondeo maxime, quia ſunt ad vnum determinata, vt calefactio ad calorem.

Dices, neceſſitas in rebus non eſt ex neceſſitate finis, ſed materiæ, ſi enim pluuia deſcendit, eſt quia vapores ſunt condenſati, & eleuati, non autē vt herba creſcat, & fructus producantur. Reſpondeo eſt neceſſitas materiæ, ſed hanc neceſſitatem natura ordinauit ad neceſſitatem finis, ſcilicet ad productionem herbarum; quod vero aliquando noceat non eſt ſecundum intentionem naturæ, ſed a caſu.

Dices, fortuna eſt incerta, ergo non poteſt definiri. Reſpondeo eſt incerta quoad effectum, ſed ſecundum ſe eſt certa, & finita; quia certum eſt multa euenire raro, & præter intentionem.

Dices, habetur tex. 79. quod illud, quod in actu eſt exiſtere caſu, non eſt in actu exiſtere per intentionem, ergo percuſſio lapidis non poteſt fieri a caſu, Reſpondeo Ariſtot. intelligit de ſpeciebus in ſubſtantijs, nulla enim fit a caſu, & quia antiqui aſſerebāt ſpecies

cies eſſe à caſu, arguit Ariſtot. & dicit, quod illa, quæ ſunt à natura, & ſecundum curſum naturalem non proueniunt ex impedimento naturæ ſicut monſtra, & quæ à caſu, percuſſio autem lapidis vtroque modo prouenire poteſt, & ſine, & cum intentione, quia actio quædam eſt, ſiue accidens.

Dices, Formicæ, & apes agunt ne ſine cognitione, vt docet tex. 80. Reſpond. agunt ſine cognitione finis rei actæ, tamen agunt per cognitionem reſpectu rerum, quæ ad finem ordinantur; ſi enim non cognoſcerent paleam, & lutum non poſſent conſtruere nidum.

*Finis Secundi Libri.*



Digitized by Google

# LIBER TERTIVS PHYSICORVM.

DICIT in primo capite Ariſtoteles ignorato motu, ignorari naturam, quia in eius ponitur definitione, euidens eſſe naturã quod ſit, non quid ſit, motũ eſſe de genere continuorum quia ſucceſſiuus eſt; infinitum apparere maxime in continuo, quia ratio illius ineſt numero, & numerus in infinitum poteſt augeri; ſine loco, tempore, & vacuo nõ eſſe motum, cuius eſt ratio quoniam mouetur corpus, & omne corpus eſt in loco dempto primo cœlo, non eſſe ſine tempore, quia tempus motũ metitur, cum verò ſine vacuo veteres crederent non fieri motum vacuum quoque illorum ſententia requiritur.

Vt autem definiat motum tria præmittit; primum eſt, quod illorũ, quæ fiunt, aliud eſt potentia; ſecundò, quod in omni gene-



Digitized by Google

ſecſt actus, & potentia, tertiò, quod relatiuorum, aliud refertur ad ſuum relatiuum, ratione quantitatis maioris, aliud minoris, aliud ratione potentiæ motiuæ, & mobilis, & ratione menſuræ, ac menſurabilis, ſumpta menſura pro veritate alicuius rei nempe habitus potentiæ, vel actus: exempla primi membri ſunt duplum, dimidium; ſecundi motiuum, mobile; tertij agens, patiens, pater, & filius.

Deinde dicit motum non eſſe diſtinctum ab illo termino, ad quem mouetur; male ergo Plato, qui ideam ſeparatam dedit motus, proſequitur dicens, quod vnumquodque genus, in quo eſt motus, duplicem ſub ſe continet ſpeciem, vnam vt formam, aliam vt priuationē; omne enim genus diuiditur per oppoſitas differentias, quarum vna eſt perfectior altera.

In capite ſecundo, dat definitionem motus, & dicit eſſe actum eius, quod eſt potentia, vt eſt tale: ſecunda definitio motus eſt actus mobilis, vt mobile eſt; nomine actus intelligitur forma, ad quam mouetur potentia mobilis.

In capite tertio facit quæſtionem, an motus ſit in mobili, vel in mouente, & an idem ſit actus vtriuſque; dicit eſſe in mobili, quia actus eſt mobilis, & eſſe mobilis paſſiuè eun-



Digitized by Google

dem actum, & vt ſubiecti, mouentis, vt actiue, & vt efficientis.

In capite quarto, quęrit de infinito an ſit, quas ſpecies habeat, & an ſit in rebus. relictis multis diſtinctionibus, vt de Oceano, de labyrintho in quo Lacedęmones comijciebant damnatos, & de infinito actu, quod non eſt in rerum natura eſt ſermo de infinito in potentia, quod licet finitum ſit ſuis terminis, ipſius tamen diuiſio in partes proportionales, nunquam deficit, aut eius accretio per additionem nunquam ceſſat. duplex igitur eſt diuiſione, & additione, vt numerus & magnitudo, vtroque modo eſt motus, & tempus, quia vt continua poſſunt diuidi, & vt ſucceſſiua creſcere in infinitum; definitur autem infinitum eſſe, cuius ſemper eſt aliquid extra rationem quantitatis recipi poteſt; hoc infinitum actu non poteſt dari, quia moueretur, cum habeat naturam, & ſic omnia loca occuparet, quod ſi moueretur circulariter, ſequeretur infinitum pertrāſiri, quia vna pars perueniret ad locum alterius, ſi enim ab vno puncto protraherentur duæ lineæ, diſtarent in infinitum; infinitum igitur quantum non poteſt dari; quia tale finitum eſt loco.

Dubi-

## Dubitationes.

Dices, ſi actio eſt in patiente, ergo actio agentis eſt in alio. Reſpondeo alia ratione, eſt in agente, alia in patiente; in agente, vt cauſatur ab illo, in mobili, vt in ſubiecto, cum ſit motus.

Dices, ſequitur motum ſolum eſſe in prędicamento actionis at etiam eſt in quantitate, & qualitate, & vbi. Reſpondeo motus eſt in omnibus illis prædicamentis, vbi eſt terminus aquiſibilis; ſi vero ſumatur motus, vt eſt via ad aquirendum terminum, eſt in prædicamento actionis, vt ab agente, paſſionis, vt in mobili.

Dices, natura, quæ eſt principium motus, eſt ne materia, vel forma? Reſpondeo magis forma, quia eſsētialis eſt omnibus rebus, & nota, quod forma elementorum eſt natura, quia eſt principiū motus; ſic forma mixtorum, ſic anima vegetatiua, quia conſtituit plantas, ſenſitiua, quia animalia, rationalis, quia hominem, forma cœli, quia habet proprium motum circularem.

Dices, motus, cuius principium eſt natura, quomodo diſtinguitur ab actione, & paſſione? Reſpondeo, per diuerſos reſpectus, quia motus, vt eſt in ſubiecto dicitur paſſio,

vt reſpicit agens, à quo eſt, dicitur actio, vt tendit ad terminum, vt eſt motus.

Dices, infinitum non poteſt cognoſci. ergo. Respond. non cognoſcitur per ſe, cum non detur, ſed per ſuum oppoſitum, vt malum per bonum.

Dices, ſi mundus æternus eſt, ergo infinitæ ſunt animæ. Reſpond. infinitum quantum non poteſt dari quia eſt corporeum, ſed non quantum poteſt, nam infinita accidentia poſſunt eſſe in quantitate, vt albedo, dulcedo, quæ tamen, quia indiuiduantur per quantitatem, non ſunt infinita, numerus autem tranſcendentalis poteſt eſſe infinitus, ſi ſit rerum non quantarum, puta animarum.

*Finis Tertij Libri.*

LIBER

Digitized by Google

# LIBER QVARTVS PHYSICORVM.

HIC Ariſtoteles docet ſpectare ad Phyſicum agere de motu, & conſequenter de loco; probat ex perſuaſione populari, nam omnes dicũt, quidquid eſt, eſt in loco, ſecundo ratione motus, qui eſt in loco; dicit igitur, quod locus eſt communis omnibus corporibus, maxime localis, qui eſt primus; dicit ſecũdo eſſe difficile tractare de loco, quia alia, & alia accidentia videntur ineſſe, & ideo nihil de loco reperitur apud veteres. poſt hæc diſputat an ſit locus, & confirmat eſſe ex alterna viciſſitudine corporum inuicem ſuccedentium, & ſic probat eſſe diuerſum locũ à corpore. probat deinde motum localem habere virtutem occultam, quia graue deſcendit, vt quieſcat, quare locus erit quantitas certis qualitatibus iuncta, quia etiam habet

Digitized by Google

bet virtutem conſeruande, alterandi locatũ, probat etiam poſitione antiquorum, qui vacuum ponebant eſſe quoddam inane, & in ipſo recipi corpora; huc facit quod Aeſiodus dicit chaos eſſe principiũ omnium quaſi oporteat habere, in quo alia collocentur, ſed probatur ratione, quia ſi corpus eſt, locus eſt; ſed locus corpus nõ eſt, quia eſſent duo corpora, ergo; ſecundo ſi nunc vbi eſt aqua, prius erat aer, ergo aliquis locus eſt; tertio, locus elementum non eſt, cum tale ſit corpus, ergo præter corpus eſt, ergo ſuperficies erit corporis. oſtendit deinde locum nõ eſſe cauſam, nam non poteſt referri, niſi ad efficiens. cum habeat virtutem conſeruandi, & finem, quia corpus debet moueri in finem, ſed non ad primum poteſt reduci, quia illa virtus non ad locum, ſed ad qualitates refertur, non ſecundum, quia corpora mouentur ad omnia loca.

In capite ſecundo, dat diſtinctionem loci, & dicit, quod alius eſt proprius, ideſt, per ſe, alius communis, ideſt, per aliud, vt ſphera lunæ eſt communis ratione aeris, ſed proprius ignis.

In capite tertio, dubitat, an aliquis poſſit eſſe in ſe ratione partis. Reſpondet poſſe, quia pars eſt in parte totius.

In capite quarto, inueſtigat quid ſit locus; dicit

Digitized by Google

dicit eſſe rem continentem locatum, nec aliquid eſſe de re locata, ideo non eſt materia, nec forma, nec accidens; ſecundo dicit eſſe æqualem locato, in quo diſtinguitur à locante, quod eſt maius locato; tertio, dicit eſſe ſeparabilem à locato, habere differētias; ponit tandem diſcrimen inter eſſe in toto, & in loco; quæ enim ſeiuncta ſunt; ſunt in toto; colligit ex his definitionem loci, & dicit eſſe extremum continentis, & dicitur locus immobilis, quia videlicet ſimul cum locato nō transfertur, vel vt alij dicunt, non mouetur actiue.

In capite quinto dicit vltimam ſphęram non eſſe in loco, cum non habeat ſupra ſe corpus.

In capite ſexto, probat ex opinione antiquorum dari vacuū, quia motus dum fit, fit per plenum, vel vacuum; ſecundo, à condenſatione, & compreſſione; tertio, experientia cineris.

In capite ſeptimo, dicit ſecundū antiquos corpus eſſe graue, vel leue, vel & verius alij dicunt, eſt ſuperficies corpore priuata.

In capite octauo, & nono, probat non dari vacuum, quia videmus leuia deorſum, grauia ſurſum moueri; cuius eſt ratio, quia cœli fluxus impediretur, cum debeat eſſe combiguitas, quæ impediretur à vacuo.

In

Digitized by Google

In capite decimo, agit de tempore, & quia quidam dicebant eſſe motum, alij primam ſpheram, alij ſolum diſtare ratione, vt Ocham, & Gregorius. Dicit Ariſtoteles eſſe aliquid motus, nam aliud eſt eſſe in Cœlo, aliud in tempore, & tempus metitur rem ſecundum durationem. locus ſecũdum magnitudinem, & tempus velox non eſt, ſed motus; eſt autem tempus numerus motus ſecundum prius, & poſterius: proprietates temporis ſunt, quod eſt mẽſura intrinſeca primi motus, ſed aliorum extrinſeca, quod eſt partim, & partim non, quia continuũ eſt indiuiſibile, non eſt velox. vel tardum, quod intellige non abſolutè, ſed vt eſt particeps numeri, tertia proprietas eſt quod vnum tẽpus numero eſt vbique, ſed non eſt idem prius, & poſterius, quia prius, & poſt ſunt numero diſtincta, & quia res numerata aliud, & aliud eſt, licet quod numeramus vnũ ſit, quarta quod ſicut iteratur motus ita tempus, qui iteratur ſecundum ſpeciem, non ſecundum numerum.

## Dubitationes.

Dices, nulla quantitas eſt conſeruatiua, ſed qualitas vt ignis, qui habet illuminare, non vt quantus; ergo ſuperficies non eſt locus?



Digitized by Google

us? Reſp. non eſt conſeruatiuus locus, vt ſuperficies, ſed vt ſuperficies corporis.

Dices, locans eſt mobilis, ergo & ſuperficies? Reſpon. eſt immobilis ſuperficies, quia non ſimul transfertur cum locato.

Dices, vltima ſphæra mouetur per ſe localiter, ergo eſt in loco. Reſp. non mutat per ſe locum, & ſecundũ ſe totum, vt elementa.

Dices, locus eſt ne ſeparabilis a locato? Reſp. maximè, quia aquiritur per motum.

Dices, eſt ne ponendum Vbi in corpore? Reſp. ſic, quia vltimum cœlum aquirit ſolum vbi; quod diſtinguitur realiter à loco, quia eſt in corpore locato.

Dices, quid eſt Situs? Reſp. eſt relatio partium locati ad locum, quia corpus, quod eſt in loco, poteſt ſedere, & ſtare.

Dices, motus localis poteſt eſſe in iſtanti? Reſp. non, quia quod mouetur partim eſt in termino a quo, partim ad quem, & nota quod terminus immediatus eſt vbi, quia vbi eſt in corpore locato, non vero locus.

Dices, poteſt ne eſſe motus in vacuo? Reſpon. non, quia ibi non eſt reſiſtentia, nec recipi fluxus, poteſt, tum quia ſecundum antiquos eſt accidens, & accidens non poteſt recipi in accidente, deinde æquè poſſet maior ignis, ac minor, patet, quia ibi non eſſet reſiſtentia, ideo ſecundo de anima capite de

viſu

Digitized by Google

riſu contra Democritum dicitur, ſi in cœlo eſſet muſca, & eſſet vacuum, non videretur, quia non eſt actio.

Dices, locus eſt ne materia, vel forma? eſt ne trina dimenſio? Reſpondeo non, quia hæ ſunt partes compoſitæ, neque dimenſio eſt, vel ſpatium contra Philoponum, quia ſequeretur accidens eſſe ſeparatum.

Dices, tempus eſt quantitas continua, ergo non numerus. Reſpondeo eſt numerus applicatus rebus.

Dices, menſura debet eſſe notior, at non eſt notius motu. Reſpondeo motus ratione ſubiecti, ſed tempus ratione menſuræ, ſiue durationis.

Dices, tempus non eſt, ergo non poteſt definiri. Reſpond. copulatur termino communi præſenti, qua ratione eſt.

Dices, eſt ens reale, ergo non pendet ab anima. Reſpondeo fundamentaliter, non formaliter incompletè, non completè: ſed pro hac re nota, quod res numerabilis eſt à parte rei, vt dicit rationem menſuræ, ideſt eſſe numeratum, vel numerari pendet ab anima; aptitudo enim, ideſt poſſe numerari, ſequitur naturas rerũ, ſed in ordine ad animã.

Dices, dicit Ariſt. tex. 152. non menſurare motum Cœli, vt numerus, ſed bene alios motus. Reſpond. tempus in ordine ad motũ

cœli

coeli habet duplicem ordinem, paſſionis, & menſuræ, in ordine ad alios ſolum menſuræ.

Dices, tempus non conſiſtit in menſura, ergo non eſt menſura. Reſpondeo conſiſtit quidditas temporis in eſſe numerato prioris, & poſterioris, ſed menſurare eſt eius paſſio; menſurare enim eſt in ordine ad alios motus, ſed eſſe numeratum eſt ratione primi mobilis, eſt enim eadem quantitas motus, & temporis, ſed tempus habet rationem menſuræ, & motus remouet rem à ſua natura, nã ſtatim ac aqua incipit calefieri, perdit frigiditatem, tamen motus regulatus ab intelligentia eſt cauſa generationis.

Dices, motus, & tempus ſunt ne quanta per accidens? Reſpondeo ſic, quia motus pendet à ſpatio, tempus à motu, vel tempus, & motus, ſecundum id quod ſunt, non ſunt quantitas, ſunt tamen, vt differunt formaliter.

Dices, poſſunt ne eſſe plura tempora æqualia ſimul numero diſtincta? Reſpond. non, quia eſt duratio primi mobilis, quæ eſt vna. & nota quod duratio motus diſtinguitur ab illa temporis, quia idem motus poteſt durare, vna vel duabus horis, & duratio rerum permanentium diſtinguitur ratione ſolum à re, cuius eſt duratio, alias poſſet Deus ſeparata producere, & conſeruare.

C Dices,

Dices, in æuo, & æternitate eſt ne ſucceſſio? Reſpondeo non, quia non eſt mutatio, nec aquiſitio termini.

Dices, in quo diſtinguitur motus à mutatione? Reſpondeo, quia mutatio eſt ad ſubſtantiam. motus ad accidens, quia motus eſt ex ſubiecto in ſubiectũ, mutatio verò ex ſubiecto in non ſubiectum, vel ex non ſubiecto in ſubiectum: ſed de hoc dicemus in libro quinto.

*Finis Quarti Libri*



Digitized by Google

# LIBER QVINTVS PHYSICORVM.

PLVRIBVS modis dicitur aliquid mutari, per accidẽs, vt ſi ægrotus currat, ſecundum partem, ſi quis ſanetur ſecundũ oculos; per ſe, vt ſi homo ambulet, & illa dicuntur per ſe, quæ habent determinatum ſubiectum motus, alterationis, augmentationis, &c.

Motus non eſt in termino, ſed in ſubiecto, nam calefactio eſt in ligno, ad motum requiruntur mouens, mobile, & termini.

Quatuor ſunt ſpecies mutationis, quia quatuor modis coniungi poſſunt, affirmatio, & negatio, ſed quia ſecunda omnino eſt reijcienda, ideo tantum ſunt tres ſpecies; prima propriè eſt generatio, corruptio; ſecunda eſt alteratio, &c. dubitat Simplicius quomodo à priuatione ad habitum

ſit motus,& non generatio. Reſpond. quia priuatio differt in generatione, & motu, in generatione eſt formæ ſubſiſtentis, in motu accidentis. Agit Ariſtoteles in ſecundo capite de quiete, & dicit quod aliquid pluribus modis dicitur, immobile, quod non poteſt moueri, vt Deus; quod vix mouetur, vt teſtudo; quod tarde incipit moueri, &c. quies autem eſt priuatio pertinens ad illud ſubiectum, quod natum eſt moueri.

In relatione non eſt motus, quia fit ſine ſui mutatione, eſt tamen per ſe ad qualitatē mutatio, & quantitatem ſed non ad actionem, & paſſionē, quia motus eſſet ad motū.

Succeſſio motus partim eſt à medio, partim ex virtute mouentis, partim ex forma; ille verò cæleſtis eſt ſucceſſiuus, quia intelligentia, ita vult, ſcit enim ordinari ad rerum generationem.

In capite tertio, dat quaſdam vocum ſignificationes, vt quid ſit continuum, contiguum, &c.

In capite quarto, dat differentiam inter motum vniformem, & regularem; vniformis eſt, quādo mobile ſecundum omnes ſui partes mouetur æquali velocitate, tali motu non circumfertur cœlum, nam partes propè polos tardius mouentur; regularis verò eſt, quando mobile æquali certo tpe mouetur.

Triplex

Triplex eſt motus genere, ſpecie, numero, genere, quando termini ſpectant ad eandem Cathegoriam; ſpecie, quando termini ſunt ſpeciei eiuſdem; quod intelligitur ſolum de augumento, & alteratione, non de locali, alias rectus & circularis eſſent eiuſdem ſpeciei; qui fiunt ad eundem terminum; requiritur enim præter terminos idem ſpatium, nam accidentaria differentia ſpatij ſecundũ obliquitatem, & rectitudinem, mutat ſpeciem motus localis, ad motum vnum numero requiritur vnitas temporis ſubiecti, & formæ.

In capite vltimo, agit de motibus contrarijs, quos dicit eſſe ex terminis contrarijs, & fiunt ad contrarios, vt frigefactio, calefactio, augmentatio, diminutio, rectus ſurſum, & deorſum, circularis enim nemini eſt contrarius.

## Dubitationes.

Dices, generatio, & corruptio ſunt motus, ergo non diſtinguuntur motus, & mutatio. Reſpond. in poſt prædicamentis ſumitur motus largè pro omni mutatione, hic autem pro illa, quæ eſt in tempore.

Dices, ſecundo in omni, quod mouetur, eſt motus, ſed ſubſtantia mouetur, deſcendit

enim lapis, ergo ad ſubſtantiam eſt motus? Reſpondeo eſt, vt in ſubiecto, non vt in termino; non enim aquiritur per motum ſubſtantia, ſed accidens.

Dices, in relatione non eſt motus, ſed vbi eſt relatio ergo. Reſpond. vbi dicit duo fundamentum, ideſt locũ, & formale, ideſt conformitatem: ratione primi eſt motus.

Dices, motus lapidis in aere non eſt vnus, quia plures partes impellunt. Reſpondeo motor dicitur vnus, etiam aggregatus ex pluribus, qui ſimul, & collectiuè moueant.

Dices, nõ requiritur idem mobile ad vnitatem motus, quia ſi cadat de turri homo viuus, qui moriatur, eſt motus, quia vnũ quantum, & eadem quantitas in viuo, & in mortuo, & tamen non eſt idem mobile. Reſpondeo non eſt eadem quantitas, quia accidentia conſequuntur formam.

Dices, motus diſtinguitur ne à termino? Reſpondeo ſi ſumatur pro perfectione non diſtinguitur, niſi ſecundum magis, & minus; ſi pro via, qua aquiritur terminus, & dicitur fluxus formæ ſic; forma igitur diminuta diſtinguitur, non vero tendens ad vlteriorem perfectionem.

Dices, motus diſtinguitur ne à motore? Reſpondeo in per ſe motis, & mouentibus diſtinguitur, mixta verò mouentur ab elemento

mento prædominante, & non à forma.

Dices, motus localis eſt ne prior? Reſpondeo ſic, quia alteratio nõ poteſt eſſe ſine motu cæleſti qui localis eſt: quod ſi dicas poſſe aliquid alterari ſine motu locali, vt docet Themiſtius primo Phyſicorum 24. contra Meliſſum ponentem vnum principium immobile, & docet ſimul cum Ariſtotele, quod licet aliquid non poſſit moueri motu locali, poteſt tamen alterari. Reſpondeo quod alteratur, non eſt opus transferri de loco ad locum, ideo, &c.

Dices, generatio eſt de genere ſucceſſiuorum, ergo eſt motus. Reſpondeo, vt accidẽs eſt pendet à materia, & eſt mutatio, vt ſucceſſiua à mouente, & quamvis forma ſit intrinſeca generato, non tamẽ eſt intrinſeca motui, quia habitibus præſentibus ceſſat motus.

Dices, forma eſt terminus, ad quem ſpecificatur motus, ergo motus potius pendet à forma, quam à motore. Reſpondeo terminus dupliciter ſumi poteſt, vel in ordine ad ſubiectum, vel ad terminum à quo, primo modo non eſt, ſed ſecundo, pendet tamen à motore, quia motus eſt actio motoris in re mota.

Dices, poteſt ne imaginari motus quantitate ſeparata? Reſpondeo ſecundum rem eſt impoſſibile, quia requiritur intrinſeca reſi-



Digitized by Google

ſtentia, quæ non eſt ſine motu; Matematici tamen imaginantur punctum ex ſui fluxu cauſare lineam,& lineam ſuperficiem.

Dices, motus contrarij quinam ſunt? Reſpondeo qui ſunt ad formas contrarias, quia ad formas ſpecie diſtinctas non poteſt idem eſſe effectus.

Dices, quare requiritur idem mobile, idē terminus ad quem, & idem tempus ad vnitatem motus? Reſpondeo, quia idem accidens non poteſt eſſe in pluribus; ſecundum quia identificatur cum termino, quem producit; tertium, quia motus, inter quos intercipitur quies, non ſunt continui.

*Finis Quinti Libri.*



Digitized by Google

# LIBER SEXTVS PHYSICORVM.

DOCET Ariſtoteles in primo capite continuum non poſſe conſtare ex indiuiſibilibus, quia linea deberet conſtare ex punctis, quę, cum careant extremis, non ſunt cõtinua; deinde inter quælibet puncta intercēdit linea, quæ terminatur punctis. hinc probat motum non conſtare ex indiuiduis, maximè quia notum eſt, nihil ſimul moueri, & motum eſſe: quod ſi dicat aliquis per ſingulas partes magnitudinis mobile motum eſſe, & non moueri, probat Ariſtoteles non poſſe fieri, quia ſequeretur motũ ex terminis conſtare, & tempus ex momentis, & lineam ex punctis, deinde aliquid motum eſſet abſque eo, quod moueretur.

In capite ſecundo, dicit id, quod eſt velocius, tranſire per maius ſpatium æquali tẽ-



Digitized by Google

pore, quam quod tardius. & ex hoc concludit omnem motum eſſe in tempore, & ideo diuiſio eſt in ſemper diuiſibilia.

In capite tertio, tractat de diuiſione motus, ex mobili, & ex tempore.

In capite quarto, præſupponit quattuor, primum quod mutatum eſt, neceſſariò eſt in eo, in quo mutatum eſt; ſecundo, quod mutatum eſt, neceſſe eſt, quod in tempore mutatum ſit & in temporis momento, primum eſſe mutatum dicitur; tertium in temporis indiuiduo res primum mutata eſt, & mutari non cœpit; quartum in re, ad quam fit motus nihil primum eſt, ideſt, quod primum mutata dici poſſit.

In capite quinto, & ſequẽtibus argumentatur contra Zenonem dicentem non poſſe fieri motum, & contra Democritum oſtendit indiuiſibilia nō poſſe moueri, niſi per accidens, ſicut nauta ad motum nauis.

## Dubitationes.

Dices, ſpatium eſt continuum diuiſibile in infinitum, ergo infinitum pertranſitur. Reſpondeo partes illæ non ſunt actu, ſed potentia.

Dices, mobile in quolibet inſtanti eſt in loco ſibi æquali, ergo cum motus non ſit in

inſtanti,

inſtanti, ſed in tempore, in inſtanti quieſcet; Reſpondeo non eſt inſtans, niſi per aſſignationem.

Dices, planum tangitur à ſphæra in puncto & ſphæra Lunæ conuexa tangit in puncto concauam Mercurij ergo dantur pūcta, & inſtantia. Reſpond. tangitur corpus, & ſi paulopoſt moueatur mobile non tangit in puncto, ſed corpus in linea, & Luna tangit Mercurium in puncto, quia nihil mediat, ſed ſecundum omne quod ſunt, ſimul ſunt.

Dices, qua ratione poteſt probari continuum non conſtare ex indiuiſibilibus? Reſpondeo, quia Diameter eſſet æqualis coſtę, circulus maior, & minor intra Triangulum; lineæ parallelæ eſſent æquales, & maiores ipſa baſe. Secundo, quia puncta non poſſunt ſe tangere, cum non habeant extrema; dabitur ergo medium, hoc autem erit diuiſibile, at medium eſt eiuſdem generis cum extremis, deinde indiuiſibilia deberent ſubiectari in quantitate, & ſic eſſent diuiſibilia, vel in materia, & ſic in quantitate ſeparata non eſſent puncta.

Dices, quomodo ergo ſunt indiuiſibilia in quantitate? Reſpondeo in potentia, & ideo Ariſtoteles 5. Metaphyſicæ 16. dixit puncta eſſe in quantitate ſicut ſtatua Mercurij in marmore, & ſic colligitur quo-

modo

Digitized by Google

modo planum tangatur à ſphęra.

Dices, iſta puncta linea, ſuperficies, &c. ſunt entia realia, quia ſunt partes quantitatis, & ſpecies, ergo ſunt actu in quantitate, & non potentia tantum. Reſpondeo, partes non eſſe actu, quia vel eſſent finitæ, & ſic quantitas non eſſet diuiſibilis in infinitum. vel eſſent infinitæ, & ſic actu daretur infinitum.

Dices, ſuperficies denigratur, ergo accidens mouetur, & non ſola ſubſtantia. Reſpondeo denigratur non per ſe, ſed virtute ſubſtantiæ.

*Finis Sexti Libri.*



Digitized by Google

# LIBER SEPTIMVS PHYSICORVM.

IN hoc libro tractat de cauſa motus, & de comparatione motus ad mouens, & motuum inter ſe: docet autem in principio capitis, quod omne, quod mouetur, ab alio mouetur, quod enim mouetur à ſe, à motione nunquàm ceſſat, ideo quod ad alterius quietem quieſcit non mouetur à ſe, at omne corpus naturale ceſſat à motu per quietem ſuæ partis, ideſt materię; veriſſima eſt igitur propoſitio, & ſic corpus naturale conſtabit duobus partibus mouente nẽpe, & mota parte. ex his concludit ne detur proceſſus in infinitum, dari mouens immobile.

In capite ſecũdo, tractat de ſpeciebus motus localis violenti, quæ ſunt pulſus tractus, vectio, volutatio.



Digitized by Google

In capite tertio, tractat de Solis qualitatibus tertiæ ſpeciei, in quibus dicit eſſe alterationem, & poſtquàm determinauit in habitibus hanc non reperiri, dicit quod alij ſunt habitus corporis, alij mentis, alij voluntatis, alij intellectus.

In capite quarto quærit, an omnis motus poſſit comparari cum alio in velocitate, & tarditate, & dicit comparationem debere fieri in ſpecie, & ideo non omnis motus rectè cum quocunque poteſt comparari, & aduerte quod illa accidentia differunt ſpecie, quæ habent ſubiecta ſpecie diuerſa, & ideo ſimilitudo, quæ eſt in albo, & nigro, quæ eſt in celeritate motus recti, & circularis, differt ſpecie.

In capite vltimo docet debere eſſe proportionem inter paſſum, & agens: nā agens debet illud ſuperare, virtus videlicet reſiſtentiam, nam quod eſt minoris virtutis non poteſt agere in id, quod eſt maioris reſiſtentiæ.

## Dubitationes.

Dices, Canis cæleſtis eſt maior marino, & latrabili ergo non eſt ſolum comparatio in eadem ſpecie. Reſpondeo, non eſt comparatio in æquiuocis, quo ad illa prædicata, quæ non conueniunt alteri, nam canis cæleſtis,

leſtis, & alij non conueniunt in illis prędicatis, vt eſſe lucidum, incorruptibile, &c. quantum autem ad prædicata, quæ vtrique conueniunt, poſſunt comparari comparatione communi, & ſic non ſunt æquiuoca, nam eſſe corpus conuenit vtrique, & ſic poteſt dici canis cœleſtis eſt maior, &c.

Dices, ſi generationes poſſunt dici æque veloces, vel non cum motus menſuretur tempore, fient in tempore. Reſpondeo verum eſt de generatione cum præuia alteratione, ſic enim comparabiles inter ſe ſunt, ſed non ſecundum ſe.

*Finis Septimi Libri.*



Digitized by Google

# LIBER OCTAVVS PHYSICORVM.

ARISTOTELES oſtendit in primo, ſecundo, & tertio capite motum eſſe æternum: huius pręcipua eſt ratio, quia omnis mutatio ſupponit ſuũ ſubiectum, & motus eſt accidens; ſecundo, quia ſi motus non ſemper fuit, daretur primus motus, ſed primus ſupponit mobile, & mouens, quæ ſi ſunt producta, vtique per motũ ſunt, & ſic daretur motus ante motum: ſunt igitur æterna, nec dici poteſt, inquit, quod mobile, & mouens ſint æterna, ſed quod nõ fuerit motus, quia non erant diſpoſita, quia quod ſublata fuerit indiſpoſitio, fuit per motum, ergo eſſet motus ante primum: verum quia non poteſt eſſe motus, niſi ſit corpus, & hoc niſi mobile, mundus eſt æternus; probat etiam hoc ratione temporis, nam tempus,

pus, vt principium eſt, habet poſt ſe, vt finis, ante ſe, & cum hoc verificetur de quolibet nunc, ſicuti in motu de quolibet inſtanti, ſequitur tempus eſſe æternum, probat hoc idem Ariſt. ratione motus a parte poſt, nam ſi corrumpentur mobilia, cum corruptio ſit mutatio, erit motus poſt motum vltimum, & ſic proceſſus in infinitum, igitur, &c.

Verum ſunt hę rationes inefficaces, mobile enim eſt productum, ſed non mutatione Phyſica, ſed creatione, quę eſt ſimplex emanatio, & non mutatio, niſi ęquiuocè, & mouens erat in eadem diſpoſitione, ſed non vt ſubiectum tempori. Ad alia argumenta facilis eſt reſponſio, dantur enim in linea puncta extrinſeca, duo inſtantia in motu, duo, nunc, in tempore, principium, & finis, illud autem ante ſumitur imaginariè: & nota quod mobilia deſinerent per annihilationem.

In quarto capite, & ſequentibus oſtendit quot modis contingat aliquid moueri, vt concludat omne, quod mouetur, ab alio moueri; dicit deinde primum mouens eſſe immobile, & ſempiternum, aliquem motum eſſe continuum perpetuum, nempe circularem; epilogat tandem omnia, & concludit in fine libri primum mouens vacare partibus, & non eſſe in magnitudine.



Digitized by Google

# Dubitationes.

Dices, contra Ariſ. videtur eſſe, quia quies opponitur omni motui, motus igitur non erit ęternus, & ſic cœlum poterit quieſcere? Reſp. opponitur motui, vt ſic, ſed non vt talis, ideſt circularis.

Dices, quod habet principium non eſt ęternum, ſed mobile habet principium, ergo. Reſp. habet productionis, ſed non durationis, hoc enim non repugnat Ariſtoteli, nam etiam cœlum ipſum & anima eſt a Deo, & Angeli.

Dices, quare Ariſt. probat mundum eſſe ęternum? Reſpon. fundamentum ipſius eſt, quia ſi materia eſſet ex nihilo, per creationem, daretur potentia infinita, at hęc nõ poteſt dari, cuius ſignum eſt, quia terra non poteſt moueri de loco ſuo, quia non eſt potentia potens remouere. Secundum fundamentum eſt, quia ſi fuit primus homo, fuit per creationem, vel ex aliqua parte elementi, at vtrumque arguit potentiam infinitam, quia gignere ſine ſemine eſt potentię infinitę; verum decipitur Ariſt. quia potentialia habent eſſe non à ſe, ſed ab alio, quod eſt potentię infinitę, quia nihil poteſt talia facere, niſi ſit infinitũ, quod tamen non agit per motũ.

Dices,

Digitized by Google

Dices, poteſt ne aliqua ratione probari contra Ariſtot. primum hominem habuiſſe eſſe ab alio? Reſpon. Maximè, quoniam illa, quæ habent potentialitatem, recipiũt eſſe ab alio, ergo primus habuit eſſe, ſed ſicut ille eſt potentialis, ita omnes, quia ſunt eiuſdem ſpeciei, ergo &c.

Dices, poteſt ne aliquid eſſe ab æterno, & accipere eſſe ab alio? Reſp. videtur implicare, quia poteſt quæri antequam habebat eſſe, vel erat, vel non; ſi erat, ergo non accepit eſſe; ſi ſecundum, ergo non erit æternum, quia nouiter incœpit.

Dices, quare ſecundum Ariſtotelem ſolus motus circularis eſt æternus? Reſpond. quia non poteſt dari magnitudo infinita, nec poteſt motus reflexus eſſe continuus, quia ſic continuarentur contraria, idem ſimul moueretur motibus contrarijs à termino ad terminum, ergo concedenda eſt quies in medio; ſolus etiam circularis eſt perpetuus, quia tranſit per media diuerſa, eſt regularis, non verò rectus, quia violentus eſt velocior in principio, naturalis in fine.

Dices, quomodo primum mouens eſt incorporeum ſecundum Ariſtot. Reſp. quia ſi moueret in tempore, poſſet accipi potentia finita, & illi addi maior, & maior virtus, & ſic moueret in non tempore.



Digitized by Google

Dices Ariſt. 8. Phyſicorum. 87. docet, inter motus augmenti, & diminutionis cum ſint oppoſiti, dari quietem, at hoc eſt impoſſibile, quia videtur vna eſſe actio numero in toto vitæ tempore in animali? Reſp. non eſt iſta actio, nã ſi daretur, eſſet illa vitalis, quæ eſt motus cordis, at iſta non eſt continua, quia inter motus oppoſitos eſt quies; verum nota ex ſecundo de generatione 77. quod ſi ſumatur totum aggregatũ ex tempore, in quo res augetur, & ſtatus, quia totum illud tempus atteſtatur perfectioni rei non datur quies, & ſic motor motus in materia non defatigatur.

Dices, octauo Phyſicorum 28. dicit Ariſt. elementa moueri ab extrinſeco, at contrarium dicit ſecundo Phyſicorum primo. Reſpond. proprie animalia mouentur a ſe poſt quietem, elementa vero mouentur a remouente prohibens, vel a generante, & ideo dicuntur moueri ab alio, ideſt a motore extrinſeco.

Dices, ſucceſſiua quomodo incipiunt? Reſp. per vltimum ſui non eſſe, & deſinunt per primum ſui non eſſe, quia incipiunt, & deſinunt extrinſecè, inſtantanea verò incipiunt per primum ſui eſſe, & deſinunt per vltimum non eſſe, quia ſunt res indiuiſibiles, & incipiunt intrinſecè: res vero permanen-



Digitized by Google

tes incipiunt per vltimum non eſſe, & deſinunt per primum non eſſe, quia menſurantur per accidens tempore, in quo aſſignantur huiuſmodi termini.

Dices, formæ ſubſtantiales, quæ ſunt in materia, quomodo incipiunt? Reſp. per primum ſui non eſſe, alias ſequeretur materiã in vno inſtanti vel carere omni forma, vel habere duas.

*Finis Octauus Libri.*

oes eſſe à caſu, arguit Ariſtot. & dicit, quod illa, quæ fiunt à natura, & ſecundum curſum naturalem non proueniunt ex impedimen-

Dices, habetur tex. 79. quod illud, quod in actu eſt exiſtere caſu, non eſt in actu exiſtere per intentionem, ergo percuſſio lapidis non poteſt fieri à caſu, Reſpondeo Ariſtot. intelligit de ſpeciebus in ſubſtantijs, nulla enim fit à caſu, & quia antiqui aſſerebãt ſpe-

In capite ſeptimo, dicit ſecundũ antiquos corpus eſſe graue, vel leue, vel & verius alij dicunt, eſt ſuperficies corpore priuata.

In capite octauo, & nono, probat non dari vacuum, quia videmus leuia deorſum, grauia ſurſum moueri; cuius eſt ratio, quia cœli



Digitized by Google

# LIBER PRIMVS DE COELO.

EGIT Ariſt. in libris Phyſicorum de corpore in communi, hic agit in particulari, & probat in cap. primo dari corpora ſimplicia, quia eorum, quæ natura conſtant, alia ſunt ſimplicia, alia mixta; & quoniam corpus eſt continuum, & continuum eſt duplex, quantitas nempè diſcreta, & continua, dicit corpus ex omni parte eſſe diuiſibile, & corpus eſſe perfectum, quia omnia tria ſunt, vt patet ex vſu ſacrificiorum apud antiquos; verum mũdus perfectior erit corpore, quia nihil extra ſe habet.

In capite ſecundo ſuppoſito omnia corpora eſſe in loco, omnem motum localem eſſe rectum, vel circularem, aut mixtũ, probat dari cœlum, quia motus ſimplex non competit, niſi ſimplici, vel compoſiti ratione

ne ſimplicis prædominantis, ergo datur corpus ſimplex, cui naturaliter cõpetit hic motus;at inter motus ſimplices, primus eſt circularis & cum illi nihil addi poſſit, perfectior eſt, nec dici poteſt cœlum moueri contra naturam, quia circularis perpetuus eſt, & nullum perpetuum violentum.

In capite tertio probat cœlum diſtingui ab elementis, quia nõ mouetur à medio, neq; ad medium; ratio, quia hic naturalis eſt elementis, non mouetur præter naturam, quia ſic oppoſitus eſſet naturalis, ergo eſt diſtinctũ,&c. Secundo cœlum non eſt generabile, nec corruptibile, quia omne tale fit ex cõtrario, at contrariorũ motus ſunt contrarij motui aũt circulari nihil eſt contrarium; ex his concludit non eſſe augmentabile, cum non ſit ſubiectum generationis, non alterabile, quia non eſt diminuibile.

In capite quarto probat non habere contrarium, quia motui circulari nihil eſt contrarium, rectus enim non opponitur, quia vni vnum ſolum eſt contrarium, vt rectus ſurſum, recto deorſum, nec motus circulares inter ſe poſſunt eſſe contrarij, quia ſic tot eſſent inter ſe contrarij, quot lineæ curuæ æquales duci poſſunt; cũ ergo infinitæ poſſint duci, infiniti quoque eſſent contrarij, quod eſt abſurdum.



Digitized by Google

In capite quinto, probat non eſſe infinitũ cęlum, quia lineæ ductæ à centro eſſent infinitæ,& cum cęlum moueatur, iam pertrãſiretur infinitum, ſit ſecundo vna linea infinita à centro ex vna parte, & alia extra centrum, moueatur cœlum, certum eſt hanc infinitam ſecari ab alia, ergo finito tempore poſſet pertranſiri infinitum.

A capite ſexto vſq; ad finem docet mundum non eſſe infinitum magnitudine, vniuerſum non eſſe infinitum multitudine, eſſe mundum duratione æternum.

## Dubitationes.

Dices, elementa mouentur circulariter in ſuo loco, ergo. Reſp. ad eũdẽ locum naturaliter fertur pars, & totum, quia naturaliter vnumquodq; mouetur, vbi naturaliter quieſcit; at ſi pars cœli detraheretur non moueretur, cum totum cęlũ eò mouere nõ poſſit.

Dices, Ariſt. dicit, creſcit ignis in infinitũ, ſi apponatur combuſtibile, ergo ſignum eſt poſſe dari infinitum. Reſp. ſenſus eſt Ariſt. quod non poſſit dari magnus ignis, quin detur maior, vel reſp. ſi per impoſſibile daretur infinitum cõbuſtibile, daretur & ignis.

Dices, quare non poſſunt dari plures mũdi? Reſp. quia cum ſit triplex motus à medio

ad medium, & circa medium, tria etiã ſunt loca, locus grauium, leuium & circulationis; cum igitur locus leuium ſit in medio, ſi eſſent plures mundi leue eſſet ſupra, vel infra terram: ferretur ad locum alterius, & ſic aſcenderet, & deſcenderet.

Dices, extra mundum poteſt Deus creare duos lapides. & vnus eſſet extra alium, ergo poteſt eſſe locus extra cęlum. Reſp. eſſent extra alium negatiuè, ideſt vnum non eſſet in alio, ſicut vna intelligentia non eſt in alia, vel põt dici, quod Deus produceret ẽt locũ.

Dices, potentia finita poteſt ne mouere æterno tempore? Reſp. cęlum habet potentiam finitam in qualitate, quia non põt moueri in minori tempore, habet tamen infinitam in duratione, quia mouet æterno tempore, & cum dicitur nullam virtutem finitã mouere æterno tempore eſt falſum, de virtute in vigore, finitas enim vigoris conuenit formæ inquantum forma; quod autem ſit finita, eſt quia habet corpus finitatem in magnitudine.

Dices cęlum eſt ne incorruptibile? Reſp. eſt ab agente naturali, quia non poteſt dari agens naturale, cuius virtute dimoueatur à proprio ſtatu.

*Finis Primi Libri.*



Digitized by Google

# LIBER SECVNDVS DE COELO.

PROBAT hic in primo cap. Ariſt. cœlum eſſe ingenerabile, & incorruptibile, elementa vero vtpotè partes ignobiliores corruptibilia, recitat deinde tres opiniones de cœlo, quarum prima eſt fabuloſa Atlantem nempè humeris ſuſtentare: ſecunda eſt dicentium eſſe animatum, & vi animæ ſtare ſurſum, ſicut volucres cœli; tertia eſt illorum, qui dicunt eſſe graue, ſed non cadere propter velocitatem motus; definit deinde defatigationem, quod nempè ſit diminutio potentiæ actiuæ, aut intellectiuæ per diurnam actionem, reparabilem tamen per quietem.

Dantur ex ſecundo capit. in cęlo differentiæ poſitionum, quia ratione quantitatis eſt ſurſum, & deorſum, ratione ſuperficiei, dextrum,

trum; ſiniſtrum, deinde ratione ſenſitiuæ perceptionis, quæ eſt in homine, ex quo per analogiam hæ differentiæ ſunt in cœlo, ante, & retro, antarcticum enim eſt ſurſum, arcticum deorſum, in oriente eſt dextrum, in Occidente ſiniſtrum, in meridie ante, in ſeptentrione retro.

Dantur ex ſecundo cap. plures motus, & plura corpora cęleſtia, quia cęlum eſt diuinum quoddam, ergo motus perpetuus competit ei, & neceſſariò ſequitur, terram in medio eſſe immobilẽ, & ſi terra eſt, ergo ignis, ergo aer, & aqua, ergo generatio, & corruptio, ergo plures, & diſſimiles lationes, ergo diuerſi motus circulares in diuerſis orbibus, cum vero motus non poſſit eſſe ſine ſubiecto, plura erunt corpora cęleſtia.

Cęlum eſt ſphęricum, ex cap. 4. quia congruit perfectiſſimo corpori, perfectiſſima figura, quę circularis eſt, & aptior ad motum, & capacior, id etiam probatur ex rotunditate elementorum.

Cęlum mouetur, ab Oriente, in Occidẽtẽ per angulum meridiei, & non noctis, deinde per angulum noctis ad orientẽ, natura enim facit id, quod eſt optimum, ſed ante ipſius cęli ſtatuitur in meridie ergo.

Motus cęli, eſt regularis, ex cap. 6. quia cęlum ſemper æquali tempore, abſoluit æquale

le ſpatium, differt autem ab vniformi, quia vniformis eſt, quando mobile ſecundum omnes ſui partes, fertur æquali velocitate. Stellæ ex c. 7. non differunt ſpecie à ſuis orbibus, licèt ſint lucidæ, & habeant aliquam virtutem, quia etiam in eodem ſubiecto poſſunt eſſe diuerſæ affectiones; nam in homine eſt oculus lucidus, & non manus; & videre differt ſpecie à guſtari. Orbes vero diſtinguuntur ſpecie, quia motus ſunt ſpecie diſtincti cum vnius corporis ſimplicis ſit vnus motus ſimplex, habent etiam effectus natura diuerſos.

Stellæ non ſunt igneæ, ſed videntur igniri, ratione velociſſimi motus, ſicut igneſcit ſagitta velociſſima, & mouentur per accidens ad motum orbis.

Ex c. 8. Maculę in luna non ſunt alimentũ ex humore terræ, vt voluit Plinius lib. 2. Hiſtoriæ mundi. luna enim non indiget alimento, ſunt igitur partes rariores, & denſiores, ſicut in alabaſtro, vt facilius recipiatur, & tranſmutetur lumen.

Falſa eſt opinio Pythagorica, quod in cęlo ſit ſymphonia, ſed quod nõ audiatur propter aſſiduitatem, nulla enim conſuetudo tollit ſenſum, ſed retundit, nec cauſatur ſonus, quia ſonus indiget medio, vt feratur.

Ordinem cęlorum ignorauit Ariſtot. in

cap.

Digitized by Google

cap. 10. nam non cognouit, niſi octo. Tholomeus autem probat, ponendum eſſe nonum i. Chriſtallinum, quia firmamentum etiam mouetur ab Occidente in Orientē, ergo ponendum eſt aliud, cui ille motus ſit proprius deinde Matematici, quia viderunt ſtellas habere triplicem motum, dixerunt dari decem ſphęras mobiles, quare motus proprius firmamenti non eſt diurnus, ſed trepidationis.

Stellæ ſunt ſphęricæ, ita in c. 11. nam luna creſcit, & decreſcit, ſecundem maiorem, & minorem ſemicirculum, & quando opponitur ſoli, ſua opacitate facit figuram arcualem, in c. 12. quærit quare ſit vnus motus ſolum in primo cęlo. in capit. 13. ponit. Opiniones antiquorum de ſitu, & figura terræ, quæ ſunt falſæ; nam duplex eſt medium, rei, & magnitudinis: magnitudinis eſt, quod æqualiter diſtat ab extremis, & ſic terra eſt centrum mundi, rei & ſic eſt cuncauum lunæ exemplum eſt de corde in homine, in quo eſt omnis virtus.

## Dubitationes.

Dices, ſi terra eſſet in medio mundi, eſſet nobilior, ſicut cor, quod eſt in medio animalis. Reſp. comparatio cordis eſt, cũ Sole,

Digitized by Google

le, nam ſicut a corde accipiunt membra virtutem ita a Sole omnia ſublunaria, terra autem eſt in medio, propter ſuam grauitatem.

Dices, ſi terra eſt ſphęrica, ergo cooperta eſt aquis? Reſpon. hoc ſequeretur, ſi idem eſſet centrum grauitatis, & magnitudinis.

Dices, ſi eſt ſphęrica, ergo mouetur circulariter? Reſpondeo ſi moueretur per lineam arcualem eſſet verum.

Dices, eſt corpus naturale, ergo etiam mouetur in medio? Reſpondeo ſi eſſet extra ſuum locum moueretur, vel R. mouetur, ſecundum partes.

Dices, grauitas, & leuitas ſunt principia intrinſeca motus ergo natura, ergo formæ? Reſp. non eſſe primo.

Dices, inter extrema non inconuenit dari plura, ergo erunt plura elementa. Reſpon. eſt verum quando componuntur, & non ſunt ſimplices qualitates; grauitas enim terræ eſt ſimplex, non compoſita, dicuntur autem mediæ, quia mouentur ad media loca.

Dices, ſtellæ ſunt ne eiuſdem ſpeciei? Auerroes ſecundo Cęli 49. dicit quod ſic, quia alias eſſent materiales, & corruptibiles. Diuus Thomas ſecundo, Cęli lectione 16. dicit

non

Digitized by Google

non eſſe quia non habent eaſdem operationes, & proprietates, & ſunt materiales.

Dices, Sol eſt nobilior Luna, ergo debet conſequi ſuum finem, pluribus motibus, ſicut homo, qui pluribus motibus, conſequitur beatitudinem. Reſpondeo quando corpus nobilius, & minus nobile ordinantur ad vnum finem, verum eſt, quod debet moueri paucioribus motibus, homo autem ordinatur ad vlteriorem finem, ideſt Deum.

*Finis Secundi Libri.*



Digitized by Google

# LIBER TERTIVS DE COELO.

AGGREDITVR, Ariſtot. tractationem partis inferioris vniuerſi ideſt elementorũ, & hoc quantum ad mobilitatem, in libris vero de generatione, quatenus ex mutua illorum actione fit generatio, & corruptio, & quia in hoc libro nihil aliud facit Ariſtot. quam referre opiniones antiquorum de graui, & leui, quæ omnia ſunt facilia, ideo relinquemus.

## Dubitationes.

Dices grauia, & leuia mouentur ne à proprijs locis? Reſp. non quia mouens debet eſſe ſimul cum moto; ſed locus non eſt ſimul cum graui, quando mouetur, immo graue

re in proprio loco, quieſcit.

Dices, a quo mouentur elementa? Reſp. a propria forma, & a generante, quia qui dat formam, dat & conſeqnentia ad illam, qui enim dat formam, dat & grauitatem; verū nota, quod non mouentur à propria forma per ſe, quia ſic mouerent ſe ipſa, & eſſent animata ſed mouentur a grauitate, & leuitate, quæ ad motū ſe habent actiue, vt ſunt generantis inſtrumentum, paſſiue, vt ſunt effectus.

Dices corrupto generante, a quo mouentur? Reſp. remanet ſemper virtus generantis, quare mouentur à virtute impreſſa, nota igitur formā lapidis v. g mouere formaliter, grauitatem inſtrumentaliter, ſed generans effectiuè.

Dices, terra eſt ſphærica, & aqua, ergò elementa ſunt figurata, quod tamen negat Ariſt. Reſp. ſunt ratione continentis, non ratione ſui, deinde aqua decidit in guttulas rotundas, vt maximè reſiſtat contrarijs, terra etiam eſt figuræ rotundę, quia partes deſcendentes ad centrum ſe comprimunt.

*Finis Tertij Libri.*



Digitized by Google

# LIBER QVARTVS
## DE COELO.

IN capite primo definit Ariſtot. qualitates motiuas. & dicit illud eſſe graue, quod per grauitatem aptum eſt moueri deorſum, eſt autem graue duplex ſimpliciter, & ad aliud, ſic & leue, ſimpliciter illud eſt, quo nullum eiuſdem naturæ eſt grauius, ſed nota, quod grauitas, & leuitas hic ſumũtur in ordine ad loca, & ſic aqua non dicitur grauis ad aliud, quia habeat aliquid admixtũ grauitati naturali, ſed quia non mouetur ad locum ſimpliciter deorſum, deinde grauitas in aqua non ſecus, ac in terra nulli admixta eſt, & ſic leuitas aeris, tam pura eſt, quam illa ignis, ſed dicitur ad aliud, quia non eſt potens mouere ad locum, ſimpliciter ſurſum.

Quærit in c. 2. Ariſt. quare graue moueatur deorſum & dicit, quod ſicut forma eſt per-

perfectio rei ita locus locati, vnumquodque enim intendit ſuam perfectionem, quæ eſt in loco, cum habeat virtutem conſeruatiuam. proſequitur in cap. 3. eamdem tractationem. in c. 4. facit quæſtionem, an grauitas terræ diſtinguatur ſpecie ab illa aquæ: dicit diſtingui, quia, elementa diſtinguuntur ex qualitatibus motiuis, ſecundo, quia leuitas ignis mouet ad concauum lunæ, non illa aeris, deinde, quia ſequeretur, aeris leuitatem detineri a propria forma, ne moueretur ad locum ignis, & ſic eſſet violentia. duæ quæſtiones ſunt in c. 5. prima, quare corpora latitudinem habentia ſupernatent, & nō alia, ſecunda quare, quædam tardius, quædam velocius moueantur. Reſp. Ariſt. quædam corpora de facili eſſe diuiſibilia, vt ignis, aer, aqua, quædam de difficili, vt terra, corpora igitur, quæ habent latitudinem, magis ſub ſe compręhēdunt, ideo ſupernatant, quibus vero acuta eſt figura, minus ſub ſe cōpręhēdunt, & ita facilius diuidunt ſubiectum corpus. quo ad ſecundum dico, corpus, quod habet qualitatem motiuam, quæ magis ſuperat reſiſtentiam medij, ferri celerius per medium.



Digitized by Google

# Dubitationes.

Dices, eadem eſt cauſa vtriuſque leuitatis, ideſt caliditas, ergo vna non diſtinguitur ſpecie ab alia, Reſp. non ſola caliditas eſt cauſa, ſed in aere cum humiditate.

Dices, vapor humidus habet leuitatem igneam, ergo. Reſp. admixta eſt exhalatio terreſtris, & ſicca, & ſic ſol calefaciens generat igneam leuitatem, adiutus modica ſiccitate.

Dices, grauitas aquæ nata eſt mouere ad centrum, ergo. Reſp. illum motum non fieri ſecundum propriam inclinationem, ſed cõmunem, ne detur vacuum.

*Finis Quarti Libri.*

# LIBER PRIMVS DE GENERATIONE.

ARiſtot. tractat in hoc libro de elementis, & ideo primo loco quærit, an danda ſit generatio, & corruptio, quid ſit, quomodo differat ab augmentatione, & alteratione; verum, quia hæc omnia non poſſunt ſciri ſine cognitione mixtionis, maxime, de actione, & paſſione tractat in hoc libro. in ſecundo vero de qualitatibus actiuis, paſſiuis, & illorũ differentijs.

Quidam dixerunt, ex c. 2. & 3. vnum eſſe principium, & hi non poſſunt diſtinguere generationem ab alteratione; quidam dixerunt eſſe plura, ſed ſuis rationibus id non poſſunt defendere.

Aduertendum dupliciter, aliquid poſſe dici generari, aut corrumpi, vel ſimpliciter, vel ſecundum accidentia, quod generatur ſimpliciter, generatur ex non ente, i. ex materia quæ poteſtate eſt, ſed non actu, quam ignorantes antiqui, errauerunt ponentes loco materiæ, corpus quoddam, & ſic lapſi ſunt in alteratione͂, nam quidquid adueniebat, erat accidens.

Generationes, & corruptiones rerum ſu͂t ſempiternæ, & quia cauſa efficiens æterna eſt, & quia materia ſemper eſt ſub aliqua forma.

Hinc facilis eſt differentia, inter generationem, & alterationem, nam ex ca. 4 aliud eſt corpus, aliud qualitas; ſubiectum enim, & paſſio diuerſa ſunt, alia igitur erit mutatio ad paſſionem, alia ad ſubiectum, & conſeque͂ter, alia erit mutatio, quæ eſt ad ſubiectum, alia alteratio, quæ eſt ad qualitatem.

Alteratio ſic definitur, eſt motus per que͂ corpus naturale ſenſibile permanens idem numero ſub vtroque termino mutatur, inter qualitates tertiæ ſpeciei; cum igitur ex humido in ſiccum, & ex calido in frigidu͂, aliquid mutatur, alteratio eſt, cuius terminis ſubijcitur, nec ignis, nec aqua genita, ſed materia prima, quę, ſicut in formas ſubſtan-

tia-

ſiales mutatur, ita in qualitates.

Generatio eſt mutatio, qua totum mutatur, & nihil remanet, & per mutatur, intelligitur terminus, & non ſubiectum.

Ab hac definitione ſeparatur nutritio; quia totum nutrimentum non conuertitur in totum, ſed in illam ſubſtantiam, quæ pars ſit alterius, ex c. 5. Diſtinguitur generatio, ab augmentatione; nam id quod generatur, vel alteratur, non neceſſariò mutat locum, id autem, quod creſcit mutat, item quod mouetur localiter, mutat locum, vel ſecundum totum, vel partes, illa autem, quæ augentur, & diminuuntur, occupant maiorem, vel minorem locum.

Id, quo fit augmentatio, eſt corpus, & magnum, ideſt alimentum; quod enim non habet magnitudinem, ſed eſt indiuiſibile, non poteſt facere maius, & illius, quod eſt tantum poteſtate maius, non eſt augmentatio; ſed potius, ſiquid tale reperitur, in rerum natura, quantitatis generatio.

Nutritio eſt conuerſio alimenti in ſubſtantiam aliti, facta virtute caloris naturalis, vt inſtauratio in eo fiat, quod cęperat abſumi, calor igitur eſt inſtrumentum, & alimentũ eſt obiectũ, ideſt omne illud, quod a viuente confici poteſt, & conuerti in ſubſtantiã.

Augmẽtatio eſt accretio magnitudinis, decretio vero eiuſdem diminutio, & quoniam augmentatio animatorum non eſt ſeparata a nutritione, eadem ſunt organa, idẽ obiectum, ſolum eſt differentia in vſu, & tempore, quia virtus animæ agit vſque ad initium iuuentutis deinde ceſſat; nutritio vero toto tempore. huius eſt ratio, quia calor naturalis eſt fortis, & plus conuertit de nutrimento, quam perit de corpore, ſed poſtquam ventum eſt ad ætatem conſiſtentem, non plus conuertit, ſed tantundem. ſed nota, quod calor naturalis tandem debilitatur, ita vt non poſſit tantum conuertere, quantum abſumitur de corpore; quapropter fit decrementum & venit ſenectus.

Differt augmentatio ab impinguatione, quia hæc non fit per omnia membra, ſed ſolum carni additur ſuperflua quædam humiditas orta ex bono ſanguine, vt enim fiat augmentatio debet minori quantitati, addi maior, & hinc colligitur rarefactionem, & condenſationem. non eſſe augmentationẽ, & diminutionem quia manet eadem quantitas numero, variata ſola qualitate.

Diminutio eſt motus, quo debilitate caloris naturalis, ſecundum omnia membra, minorem quantitatem aquirit, oritur autẽ,

hæc

Digitized by Google

hæc debilitas, vel ab exuitate humoris, vel ex impuritate eiuſdem, vt patet in lucerna olei.

Neque alimentum, neque aggregatum augetur, ſed id cui apponitur, quia hoc remanet ante, & poſt augmentationem, & hæc eſt prima proprietas. ſecunda fit augmentatio aliquo accedente, ſicut interno recedente diminutio. 3. Eius quod augetur quælibet pars augetur, ſic eius quod diminuitur. 4. propter augmentationem non eſt ponēdum vacuum, ſunt enim plurimi meatus pleni humore, vel corpore tenui. 6. augmentatio fit adueniente aliquo corporeo.

Nutrimentum tale eſt potentia, quale eſt actu id quod nutritur, ſic magnes non trahit quodlibet, ſed ferrum cum quo familiaritatem habet.

Idem ſubiecto ſiue re ipſa eſt id, quod nutrit, & auget, alimentum enim vt poteſtate caro eſt nutrit, ſed vt caro quanta auget, animal tamen ſemper nutritur, non vero ſemper augetur.

In capite 6. tractat Ariſtot. de tactu, qui eſt matematicus, quando videlicet duo corpora ſe tangunt, phyſicus, quando inſuper agunt, & patiuntur, virtualis, quando corpus ſua virtute mouet rem aliquam, vt intelli-

telligentia cœlum anima corpus cœlum hę inferiora.

In c 7.& 8.agit de actione & paſſione, & dicit quod agens,& patiens ſunt ſimilia materia,& genere,diſſimilia forma, & ſpecie. Dicit deinde eſſe impoſſibile, quod ſimile agat in ſimile quia idem in ſe ageret & omnis actio in hoc tendit,quod paſſum aſſimiletur: diſſimilia tamen omninò eſſe 1.ō poſſunt, quia ſic quodlibet pateretur a quouis, vt calor a ſapore.

In c.9.tractat de proprietatibus requiſitis ad actionem, & paſſionem prima eſt,agens poteſtate tale eſt,quale agens actu.2.patiens partim patitur, partim non,aptum tamen eſt pati ex omni parte.3. magis, vel minus patitur quatenus magis, vel minus præparatum eſt ad formam agentis recipiendam & ad hoc adiuuat meatuum multitudo.4. agens nō poteſt agere in remotum niſi prius agat in medium, vltimo patiens debet eſſe intra ſphæram actiuitatis agentis.

In capite vltimo agit de mixtione & probat dari,quia ſi elementa remanerent eſſent iuxta ſe poſita, ſi corrumperentur non eſſent,remanent igitur virtute: ablata enim forma remanent qualitates quæ redactę ad æqualitatem tranſeunt in compoſitionem.

Cer-

Digitized by Google

Certum eſt dari mixtionem, quia in media regione aeris generãtur ranę, & tamen ibi non eſt ſemen; ſunt autem proprietates mixtionis, vt contraria ſint actiua, & paſſiua inter ſe mutuo, vt virtute ſint paria, vt videlicet virtus vnius ſuperet reſiſtentiam alterius.

## Dubitationes.

Dices caro nutritur carne ergo nutritio fit a ſimili. Reſp. quod neceſſario caro debet ante corrumpi qua corrupta fit nutritio fit enim corrupto illo, quod actu erat.

Dices in quo differt mouens ab agente, Reſpon. quia agens imprimit ſuam qualitatem in paſſo deinde agens agit per contactũ; & agendo patitur non uero mouens.

Dices ignis maior abſumit minorem ergo ſimile agit in ſimile. Reſp. eſt per accidens conſumendo videlicet fomitem minoris qua ratione in diſſimile agere dicitur.

Dices quomodo fit reactio. Reſpon. qualitas quæ maximè agit minimè reſiſtit quare non comparatur efficacia agentis cum actiuitate patientis, ſed actiuitas vnius cum reſiſtentia alterius, & nota quod dum agens agit, etiam paſſum, re agit, agens extendit,

ſuam

Digitized by Google

ſuam actionem, ita tamen, vt numquã perueniat ad extremum ſuæ actiuitatis, qualitas debilitata remanet magis remiſſa in parte repaſſa, quam in paſſo. interim dum debilitatur pars repaſſa, totum agens agit in paſſum corrumpendo qualitatem paſſi, vt ſibi aſſimilet partem repaſſam, & ſic fit reactio, ſed de hac re lege Pomponatium.

Dices, ſi patiens debet eſſe tale poteſtate quale actu eſt agens, ſol erit calidus actu. Reſpondeo, propoſitio valet ſolum in agente vniuoco.

Dices in media regione quo modo ſunt. 4. elementa? Reſpon. radij mouẽt, & miſcent elementa, & ignis virtute motus cœli ſpargitur, & deorſum fertur.

Dices illa propoſitio: vnius generatio eſt alterius corruptio non eſt vera, quia quando corrumpitur homo nihil generatur. Reſp. alia eſt forma partis, alia totius, illa eſt incorrupt. non hæc ideſt humanitas, & hæc, non illa corrumpitur, & ad ſeparationẽ animæ à corpore generatur forma cadaueris.

Dices, quomodo manet idem nu. ante & poſt augmentationem, ſi ſemper nouæ partes adduntur. Reſp. quia remanent partes principales; ſecundo quia adduntur partes ſimilares.

Dices

Dices diminutio non habet cauſam extrinſecã, quia cum idem ſit cauſa oppoſitorum,& augmentum, & diminutio ſint oppoſita eadem ratione augmentum eſſet à cauſa extrinſeca,quod eſt abſurdum non ab intrinſeca,quia intrinſeca sũt materia,& forma quæ sũt conſeruatiuæ rei. Reſp.calor naturalis per accidens eſt cauſa: intendit enim ſui conſeruationem conſumendo humidũ & ſic præter intentionem ſuæ naturæ ſequitur per modum ſequelę ſui ipſius corruptio ad corruptionem humidi: cauſa autem per ſe diminutionis eſt extrinſeca ideſt intẽtio primi agentis.

Dices poteſt ne dari paſſibile indiuiſibile vt minima caro. Reſp. caro minima eſt indiuiſibilis, quia non poteſt diuidi in partes eiuſdem ſpeciei, & ſic eſt impaſſibilis:eſt vero diuiſibilis in elementa.

Dices aqua ſe infrigidat,ergo idem poteſt in ſe agere. Reſp. infrigidat per ſe, ſed non primo, & hæc actio quæ eſt a generante, vt quod a forma,vt quo:eſt perfectiua non corruptiua.

*Finis Primi Libri.*



Digitized by Google

# LIBER SECVNDVS DE GENERATIONE.

ELEMENTVM ex c. 1. eſt corpus ſimplex, ex quo aliud componitur, vel eſt corpus ex tertio cœli, in quod cætera diuiduntur, in quibus ineſt potentia, vel actu, ipſum autem in forma, diuerſa, eſt indiuiſibile, ideſt in corpora diuerſa ſpecie, ex quibus patet excludi cœlum, quod eſt principium aliorum corporum, cum ſit effectiuum, & non materiale, excludi etiam mixta, quorum nonnulla ſunt materia aliorum corporum, ſed non omnium rerum.

Materia elementorum, non eſt corpus, ſed ipſamet materia hęc pōt demonſtrari ex ipſorum mutua tranſmutatione, non enim in ſe conuerterentur niſi communis ſubſtaret materia, alia tamen eſt ratio principiorum naturalium, & elementorum; nam illa ſunt

com-

communia, omnibus rebus hæc vero ſunt mixtorum ſolum.

In c. 2. ex proprietatibus ducit nos in cognitionem formarum elementorum quæ de ſe notæ non ſunt; ex actione igitur elemēti, quæ proficiſcitur à qualitate, cognoſcimus formas, hinc eſt, vt illarum loco vſurpentur qualitates, quæ ſunt in ſummo, & etiam remiſſæ; nam ignis eſt ſecūdo ſiccus, ſed primo calidus, ſicut aer, ſecūdo calidus, & primo humidus, & hæc ſecunda qualitas, non eſt cauſa actionis elementi, ſed meliorē facit actionem.

Duæ ſunt qualitates actiuæ; ſiccitas vero & humiditas dicuntur paſſiuè, quia videlicet ſunt minus actiue, actio enim illarum conſiſtit in vi congregandi, quæ in actione cernitur, harum vero in eo, quod facile, vel difficile extremitate ſua, vel aliena terminētur, quod in facilitate, vel difficultate patiendi conſiſtit.

Calidum eſt, quod cōgregat ea, quæ ſunt eiuſdem generis, & diſgregatque diuerſi frigus, quod congregat, quæ ſunt eiuſdem, & diuerſi: Humidum eſt, quod facilè ſuſcipit terminos alienos, ſiccū verò, quod termino proprio finitur, hinc patet, terram eſſe magis ſiccam, quam ignis, quia licet facilè ignis terminetur ſe ipſo, facile etiam dilatatur,

plus

plus quam terra, ſimiliter aer plus eſt humidus, quam aqua, quia facilè cedit, nullamq; figuram retinet, & quamcunque recipit. dicitur tamen aqua humidiſſima, quia maximè humectat, & quia in corpore mixto alienum terminum facile ſuſcipit.

Quatuor ſunt elementa; quod probat Ariſtot. in c. 3. ex comminationibus; Calidum enim, & frigidum, cum ſint contraria, ſicut humidum, & ſiccum non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto.

Elementorum proprietates ſunt, vt nullum elementum ſit purum, propter vtilitatem noſtram. 2. ignis eſt ſumme Calidus, ſicut terra ſumme frigida, & quamvis ignis plus exſiccet, quã terra, non eſt tamen magis ſiccus, ſed hoc facit ratione caliditatis. 3. elementa extrema ſunt priora. 4. ſicut ignis aduerſatur duabus qualitatibus aquæ, ita aer terræ. 5. elementum habet vnam qualitatem in ſummo, altera non.

Ex c. 4 quodlibet elementum poteſt trãſmutari in aliud, quia corruptio fit ex cõtrario, & illa ſunt inter ſe contraria, verum eſt tamen, quod ſymbola facilius tranſmutantur, quia eſt ſatis, ſi corrumpatur vna qualitas, ſed aduerte quod aer, verbi gratia, non fit aqua ſtatim, ac frigidus fit, quia inſuper requiritur, vt denſetur, & fiat grauis, nota etiam,

etiam, quod ex duobus diſſimbolis poſſunt generari alia duo; ſi enim aeris humiditas corrumpatur à ſiccitate terræ, & calor vincat frigiditatem, oritur calidum, & ſiccum, ſimiliter ex aere, &c. poteſt generari aqua, corrupto aeris calore, & deſtructa ſiccitate terræ.

Elementa ſymbola non poſſunt transmutari in aliud tertium actione propria; ſi enim in eis corrumpatur vtraque qualitas, nullum elementum fiet; ſi autem manet vna in vtroq; vel erit eadem, vel contraria, ſi primum non erit elementũ, cum requirantur duæ, ſi ſecundum, contraria erunt in eodem, quod non eſt poſſibile, aliena tamen virtute ideſt Solis, & Cœli poteſt ignis in terrã & è contra conuerti. in tribus ſequentibus Ariſt. diſputat contra antiquos.

Omnia mixta conſtant ex quatuor elementis, vt patet ex c. 8 requiritur enim terra propter conſiſtentiam, & aqua propter figuram & cum iſta duo ſimul alterentur, & alteratio fiat à contrario, neceſſe eſt dari ignẽ contrarium aquæ, & aerem contrarium terræ.

Generatio eſt perpetua ratione primi mobilis, & ratione obliquitatis in zodiaco eſt varia, & diuerſa; quod probat Ariſtoteles, quia probabile eſt in illa regione, vbi ſoluta


Digitized by Google

eſt vna dies, & nox omnia languere; ſecundo quia ſolis abſentia videntur omnia corrumpi, quemadmodum viuificantur præſentia, poteſt etiam probari perpetuitas generationis, ratione finis, quia vnum quodque appetit ſemper eſſe; ne igitur appetitus naturalis ſit, fruſtra per generationem, res ſemper erit non eadem numero, ſed ſpecie adde, quod elementa inuicem transmutantur, & vnum generatur ex alio, & datur circulus, nam ſemen generat hominem homo, ſemen &c.

## Dubitationes.

Dices, lux eſt in primo corpore, & nobiliori, ideſt in cœlo ergo primæ qualitates nō ſunt primo primæ. Reſp. ſunt primæ inter contrarias.

Dices, motus localis eſt prior, motu alterationis; ergo grauitas, & leuitas ſunt primę. Reſp. non omnis motus localis eſt prior, ſed illæ cœli, quod non eſt graue, nec leue.

Dices, caliditas, & frigiditas, ad inuicem ſe compatiuntur, ideſt in tepido, ergo datur quintum elementum. Reſp. verum eſt in gradu remiſſo non intenſo.

Dices, non fit tranſitus ab extremo ad extremum, ſine medio, ergo ignis non poteſt generari ex terra. Reſp. propoſitio eſt vera

in

Digitized by Google

in motu locali non alterationis; nam ſi ignis approximetur terræ poteſt generari.

Dices, ignis non poteſt cauſare diſpoſitionem aeris, quia non eſt humidus, ergo per illius virtutem non generabitur aer ex aqua, & terra. Reſp. generabitur ignis non idem numero, ſed ſpecie.

Dices, ergo ſiccitas terræ, quæ conuertitur in ignem erit ſumma in igne, & ſic in vno elemento, erit duplex in ſummo. Reſp. non eſt æque in ſummo ſub forma ignis, & terræ.

Dices, ergo cum ſiccitate ignis ſi non eſt ſumma, poteſt ſtare gradus aliquis humiditatis. Reſp. poteſt ſtare ratione ſiccitatis, ſed non caliditatis, quæ cum ſit in ſummo conſumit humiditatem.

Dices, ſymbola in tranſmutatione ſunt ne eadem ſpecie, vel numero? Reſp. ſpecie, quia alias forma non eſſet primo actuans materiam.

Dices, multa ſunt mixta vt plumbum aurum, in quibus non ſunt elementa leuia, vt aer &c. ergo plumbum, aurum non ſunt grauiora terra. Reſp. non ſunt grauiora terra elemēto naturali, ſed terra alleuiata radijs.

Dices, corrupta forma ſubſtantiali manet eadem quantitas in genito, & corrupto, ergo corrupta forma non corrumpuntur

omnia accidentia, ſubiectum enim quantitatis eſt materia, alias omnis forma eſſet quanta, & corruptibilis. Reſpon. ſubiectum quantitatis eſt compoſitum, radix vero dicit Auerroes, eſt materia, aliquando ſola forma, nam in cœlo ſecundum ipſum, non eſt materia, tamen eſt quantitas. D. Tho. dicit, eſſe ſolam materiam, in his vero, quæ habẽt formam corruptibilem, eſſe materiam cum forma.

Dices, forma indiget diſpoſitionibus, quia non recipitur ſine alteratione, quæ eſt inter qualitates, ergo ſubiectum erit materia. Reſpondeo diſpoſitiones ſunt in materia ſimul cum forma corrumpenda, vel ſecundo diſpoſitiones ſunt in materia traſmutationis, non informationis, & hoc ne dicamus, actum ſecundum præcedere primum.

Dices, quare non poteſt idem bis numero generari. Reſp. ad generationem requiritur alteratio, ſed duplex alteratio habet duplicem terminum, cum ergo terminus ſit compoſitum, duplex eſt compoſitum, deinde materia eſt in potentia ad formam producendam, non præteritam.

*Finis Secundi Libri.*

LI-

# LIBRI QVATVOR METEORORVM.

IN primo capite aſsignat Ariſtotiles ſubiectum, & dicit eſſe corpus ſimplex, mobile ad formam mixti imperfecti, quatenus ad ipſum tendit per generationem, dicuntur autem mixta imperfecta, comparatione ad animatum, vel ex inſtabili varietate elementorum, & quia rariſsime proueniunt, non tamen ſunt fortuita, quia quoties fiunt, ſemper eodem modo gignuntur; in primo igitur libro continentur, quæ generantur in igne, in ſecundo libro, quæ ex aqua in media regione aeris vel infima, vt ſunt pluuiæ, nix, grando, ros, pruina, in tertio, quæ fiunr in aere, vt ſunt venti, in quarto, quæ in terra.

In cap. 2. 3. & 4. Ariſt. dicit, cauſam materialem eſſe elementa efficiētem corpora cæ-

leſtia, quorum virtute eleuantur vapores, & exhalationes nã excitant fumos , & in generant illis leuitatem igneam, vel aeream, deinde cooperantur in generatione mixti ex materia iam ſubleuata in mediam regionẽ, vel ſupremam, inde eſt, quod in quibuſdam regionibus generantur quædam metalla, quia cęlum concurrit ſuo influxu, & homines ratione diuerſarum regionum ſunt diuerſorum morum, & ſic duorum fratrum, vnus eſt inclinatus ad ſcientiam, alter non; agunt autem corpora cęleſtia per lumen, & motum, vt patet in ſpeculo, vbi aer incluſus ita accenditur, vt comburat ſtuppam, & radij lunæ cauſant calorem in plenilunio; eo enim tempore noctes ſunt calidiores, agunt etiam per influentias; nam quædam generantur in terra, quò non perueniunt radij ſolares: eſt autem influentia virtus occulta ſpiritualis nullo ſenſu perceptibilis, & quæ nullo obſtante corpore impediri poteſt. proſequitur deinde Ariſtotiles tractationem impreſſionum, ſed primo diuidit aerem in tres regiones, prima pertingit vſque vbi vis calefactiua cœli remittitur, ſecunda eſt vicina ſoli, per quam radij ſolis transfunduntur, ſed non calefaciunt, tertia vbi radij ſolis reflecti deſinunt; tertia eſt frigida, & denſa, quia calor eſt rarefactiuus, & frigus condenſat dila-

tatur

Digitized by Google

tatur cor circa pectus à quo lentè diffunduntur ſpiritus vitales.

Hic quærit Ariſtoteles, c. 5. cauſam materialem impreſſionum ignitarum, & dicit eſſe exhalationem, pro qua re nota diſtingui exhalationẽ à vapore, quia eſt ſpiritus ſiccus excitatus à terra, vapor autem ſpiritus calidus ſuſcitatus ab aqua, calor ſolis in his generat ſubtilitatem, & attollitur exhalatio vſque ad primam regionem aeris, vapor autẽ ad mediam regionem. Impreſſiones igitur generantur virtute aſtrorum, ex iſta exhalatione ſurſum rapta, & maximè vbi materia copioſiſſima eſt excitata; Differunt figura, ita vt maximè ex hac ſit accepta diſtinctio, non tamen diſtinctione vera ſpecifica, quia omnes ſunt ſub eadem ſpecie; aliquando igitur videntur aſtra, globus, capra ſaltãs, ſtella titio ardens, & multa alia ex diuerſitate figuræ, & motus.

Hic quærit cap. 6. cauſam hiatuum, voraginum, colorum, quæ omnia ſunt exhalationes igneæ lumine perfuſæ, & apparent diuerſi colores, vt in Iride; qui tamen verè ibi non exiſtunt. exhalatio igitur calida, & ſicca incẽditur, & generantur flammæ, ſuffunditur lumine ſolis, & aſtrorum, & apparent ex reflexione luminis ſolis, & aſtrorum varij colores iuxta varietatem exhalationum, nam

ſi incidant in nubem craſſam, quia lumen non poteſt penetrare, videbitur nigra, ſi verò paulò ſit rarior videbitur color purpureus, ſi autem ad maiorem accedat raritatē videbitur croceus, qualis apparet Oriente ſole, vel Occidente; quod ſi tanta fuerit raritas, vt per eam facilè tranſeat lumen, & ſe conſpicuum faciat apparebit color albus, quod ſi partes eiuſdem nubis erunt quædam rariores, quædam denſiores, diuerſi erunt colores, vt rubri, & viridi, ita vt in medio videantur habere quemdam hiatum & ſciſſuram iunctam cum profunditate, & licet ſint omnes iſti colores in æquali diſtantia, tamē videtur magis diſtare albus, quàm niger, quia niger debilius, ac minori intenſione, albus verò maiori viſum excitat. hinc patet, quod generantur hiatus ex calida exhalatione ſurſum elata perfuſa lumine ſolis, cuius medium denſius eſt extremis, & ideò medium longè diſtare videtur, & apparet quædam ſciſſura cum profunditate, quā hiatum appellamus, ſi verò abfuerit, non tamen ita longè, appellatur vorago, ſi verò amplior fuerit, dolium dicitur.

De

## De Cometa.

COmetæ cauſa efficiens eſt cœlum. ita in ca. 4. primi Meteororum materialis exhalatio calida, & ſicca: Eſt tamen diuturnior cometa, quam flamma, quia attracta eſt maior exhalatio: diuerſitas cometarum eſt ex diuerſitate exhalationem nam cum ſparſa eſt exhalatio, dicitur cometa crinitus, ſi verò ex inferiori parte accenditur, dicitur barbatus, ſi in longum caudatus; ex quibus patet cometam eſſe naturæ elementalis, ſortitur enim caliditatem, & ſiccitatem ignis, quod ſi non videtur ignis eſt propter raritatem: quoniam autem terra remanet arida, propter copiam exhalationum, quæ aſcendunt cometa eſt ſignum ſterilitatis, & quia exhalationes repercutiuntur in media regione aeris a corporibus denſis, & frigidis ſunt cauſa ventorum & diſcordiæ, quã mouent coleram in hominibus, & ſunt inditium peſtis propter aeris corruptionem: & nũciũ mortis Principum propter immodicam eius calefactionem.

De

## De Circulo.

Prouenit circulus ex exhalatione rapta ſurſum, ita c. 9. nam lumen incidens in exhalationem refert nobis ſpeciem circuli, quia exhalatio eſt collecta in figuram circularẽ, eſt alius circulus cæleſtis, cuius Macrobius C. XV. in ſomnium Scipionis vult cauſam materialem eſſe ſtellas, efficientem lumen cœli, & dicit eum apparere in gemini, vel ſagittario.

## De Impreſſionibus humidis, & de pluuia.

Iſti habent pro materia vaporem, pro efficiente cœlum, ita c. 15. generantur autem in ſecunda regione aeris, licet per accidens etiam in infima. generatur autem pluuia ſic: humidus vapor eleuatur vi ſolis, denſatur à frigore, deinde in guttas per globos deorsũ fertur; colligitur autem pluuia in globos ad naturæ conſeruationem: & fit pluuia tẽpore hyberno potius, quam æſtate, quia calor diſſipat materiã, & multa ſunt nuncia pluuiæ. nebula ſic generatur; quædã partes vaporis ſunt rariores, & per calorem ſeparantur à

den-

denſioribus, & ſparguntur nocte ſequenti in infimam regionem aeris, & ſic nebula diſſipatur vi caloris, & eſt ſignum ſerenitatis nebula; quia ex illa colligimus deſcendere totam materiã pluuiæ, tamen quando venit ante pluuiam, indicat non ſerenitatem; ſed pluuiam, quod tunc fit, quando pauci vapores attracti ſunt, & ſubleuati, & in nebulam conuerſi deorſum cadunt.

## De Rore.

Ex c. 2. generatur ros ex vapore eleuato, paucitate caloris, qui vapor frigore noctis interueniente ducitur deorſum, ac incraſſatus in aquam concreſcit, & quibuſdam guttulis herbis, & arboribus adhærens fit ros. pruina vero generatur ex pauco vapore, qui eleuatus prius congelatur, quam in aquã denſetur: fit autem tempore frigido, & locis frigidis, quia eſt prænuntia gelidæ hyemis; & differt eſſentialiter a rore, quia ros eſt calidus, & humidus, pruina vero humida, & frigida: item ros non generatur, niſi ſereno cœlo, pruina vero niſi turbido, & cum eſt plena rore citius euaporat, quam ſi eſſet plena pruina propter ſuam ſubtilitatem, & herba aſperſa tali rore areſcit, & oues, quæ comedunt, moriuntur propter humidum aerem,

&

& ſiccum terræ: aliquando ros habet ſimilitudinem liquidi mellis, ſole torrente ſuis radijs humidum, herbas huiuſmodi ob melleã dulcedinem pecudes appetunt, & paſcũtur. colligitur etiam ros floribus aſperſus ab apibus & ob eandem cauſam congelaſcens, iſte vapor adhæret lapidibus, & metallis in fine hyemis, & principio veris: frumẽta collecta putreſcere facit, ſereno fit tempore, reddit aues lætas & hinc concipiunt fœtum.

## De Niue.

Ex c. 12. eædem ſunt cauſæ generationis niuis, & pluuiæ, nã generatur ex nube priuſquam diſſoluatur in aquam congelata frigore: fit in media regione tempore hyemis, eſt enim calor in infima regione, quæ excitat vapores: quod ſi quis quærat, quare non deſcendit nix æſtate. Reſp quia calor reſoluit illam, antequam deſcendat. conuertitur in aquam calore infimæ regionis, cuius ſignũ eſt, quod aliquando videtur deſcendere nix cum pluuia; accidentia niuis ſunt, quia extremè albet, oculorum aciem obtũdit, meſſem auget, in montibus altis perdurat, radices nutrit. Plin. dicit niuem non cadere in alto mari.

De

## De Grandine.

Ex c. 13. Generatur grando in media regione ratione frigiditatis, propter antipariſtarim; nubes enim in pluuiam concreſcũt, quæ guttatim vehementia frigoris congelãtur, & grando appellatur. & quanto maius eſt frigus regionis, tantò eſt grandior, aliquando etiam fit in infima regione, quando guttæ ex media in infimam deſcendentes, & in contrarium concurrentes contrahuntur, & vniũtur, ex qua quidem vnione quædam vehementia frigoris ſequitur per antiperiſtaſim, quam congelatio concomitatur. vnde fit, vt quando hoc modo generetur, initium ſumat generatio in media regione, & abſoluatur in infima; nec obſtat, quod aquæ fontanæ hoc modo non congelentur in æſtate, quia ad congelationem opus eſt craſſitate terreſtri. hinc putant aliqui aquam puram nihil habentem rei peregrinæ non poſſe congelari. generatur ergo grando ex vapore ſurſum eleuato vſque ad mediam regionem, quę ibi denſatur in nubem, nubes vero in pluuiam diſſoluitur; huius guttæ priuſquam decidant, ob nimiam eius loci frigiditatem, congelantur; fit autem grando rarius in hieme, & æſtate, frequentius autem autũ-

no,

no, & vere, quia hoc tempus ſatis calidum eſt ad excitandos vapores, neque adeo vehemens, vt diſſipet; ſatis etiam humidum ad præbendam materiam eleuando vapores; eſt etiam frigidum ad congelationem ob circunſiſtentiam caloris contrarij, quo fit, vt frigus mediæ regionis non mediocrè incrementum accipiat; hyeme autem grando, quia infima regio nō habet calorem, qui poſſit augere frigus regionis, eſt rotundæ figuræ, aliquando triangularis, quia frigus non ita benè poteſt condenſare, antequam decidat; aliquando videtur habere figuram animalis, & hoc eſt ratione conſtellationis, aliquando decidit cum aqueis guttis, quia ea pars nubis ob languorem frigoris non cōgelatur, ſed ſine concretione cadit; ſuprema vero aſperitate frigoris congelat.

## De Generatione Fontium.

In c. 14. & 15. Dicit Ariſtoteles, generari fontes ex aere incluſo in cauis terræ ratione perpetui frigoris condenſantis, aer enim paulatim tranſmutatur in guttas, quæ per meatus terræ currunt, & in vnum confluunt, & quia in locis montuoſis eſt multum aeris propter maximas cauas, ideo ſæpiſſime fiunt fontes in montibus; aſcendunt

autem

Digitized by Google

autem aquæ, vt dent locum aeri, qui continue ſuccedit ratione illa, ne detur vacuum.

Tertio, quia aqua aſcendit ad æquilibrationem, nam ſi ſit nauis in alueo, & ſit perforata, aſcendit aqua vſque ad æqualitatem ſuperficiei.

## De Montibus.

Quidam dicunt, ex reciproco æſtu Maris multum terræ, & arenæ accumulari, & ita generari montes; aliqui attribuunt hanc violentiam ventis; dicunt enim eos ſuo turbine excitare multum terræ, alij præcipuam vim eſſe in motu terræ, qui cauernoſas valles, & montes faciat; aliqui naturalem cauſam trahunt ex ſyderibus, quorum virtute terra rarefit, & ſiccata ſimul attollitur, & hoc eſt probabilius; eſt igitur virtus quædam occulta in ſtellis, quæ pro varietate temporũ vario motu cœli prædominatur.

## De Mari.

In primo capite ſecundi Meteororum, Ariſtoteles recitat tres opiniones antiquorũ, de generatione Maris, & ſalſedine, quas & reijcit, in ſecunda autem ratione, contra primam opinionem non tractat, niſi vt



Digitized by Google

ex cauſis inferioribus contingit, eo quod cõtemplatio virtutis aſtrorum non pertineat ad Phyſicum, in diuerſis enim fluminibus diuerſa eſt cauſa, vt in Nilo flumine Aegypti, qui ſole exiſtente in cancro totum Aegyptũ operit; ſed de his Pomponius. Mare igitur fluit & refluit vbi primum Luna ſuprà noſtrum Orizontem ſcandit, gradatim, mare continuo intumeſcẽte, donec ad meridianũ perueniat, a meridiano autem Luna vergente in occaſum inundat, donec partem cęli meridiano contrariam obtinuerit, neq; vmquam eodem tempore, quo pridie, in ſequenti die refluit, ſed ſemper aliunde, & alio tẽpore ex oriente propter motum ſuum, quo contra firmamentum ſingulis diebus tredecim gradibus Orientem verſus retrocedit, nec mirum ſi vim ſyderis Mare ſentiat; quoniam herba helyotropium ſemper ſolem intuetur, & concomitatur, & vim ſolis motricem nocturno tempore præſentiens ad Orientem ſe conuertit; imitatur quoque Oceanus varietatem incrementi, & decrementi lunæ.

De

# De ſalſedine Maris.

Capite 2. & 3. Ariſt. tractat de ſalſedine maris, & poſt quam dixit eſſe ingenerabile, & incorruptibile, & habere eundem locum, elementum aquæ, quia obtinet eundem locum ſuper ſuperficiem terræ, dicit quod ſalſedo maris pōt prouenire ex duplici cauſa, primo ex commixtione crudi, ſiue inconcocti terreſtris cum humido, ſecundò ex cōmixtione terreſtri aduſti cum humido, quomodo contingit ſalſedo in aqua per calcē, & cineres collata; ſic autem generatur ſalſedo; ſol ſuo calore adurit fundum maris, exhalatio ſubleuatur a ſole per corpus maris, hæc exhalatio aſcendit ad infimam regionē aeris, & vna cum pluuia, quæ etiam eſt amara deſcēdit, & ſic mare redditur ſalſum, aqua vero fluuiorum non ita, quia non eſt craſſa, denſa, nec exhalatio terreſtris, neque aſcendit ad infimam regionem, & quia exhalationes ſunt ſubtiliores, & altius aſcendunt ad impreſſiones generandas, & quia exhalatio ex anguſto loco ſubleuata non poteſt in eūdem locum deſcendere, quia diſſipatur à vento, & non deſcendit diametraliter.



Digitized by Google

# De Ventis.

Dicit Ariſtoteles c. 4. ventos generari ex exhalatione calida,& ſicca, quæ dum aſcendit ad ſecundam regionem, depellitur deorſum a frigore illius regionis. eſt autem ventus quidam halitus ſiccus, quē tellus perfundit huc illuc per terram, & mouetur lateraliter vellet.n. ſurſum aſcendere, ſed quia leuis eſt,impellitur à frigore; ne autem moueatur contra naturam,mouetur lateraliter; poteſt etiam dici id eſſe ratione ſyderum, nam oriēte canicula flant aquilones, alij alijs ſyderibus.

Dicit veſpere, & mane plus ſpirare propter temperationem caloris, meridie verò non,quia ſol diſſipat ſuo calore, & media nocte,quia non eſt calor, qui excitet exhalationes,æſtate etiam,& hyeme ceſſant venti propter calorem,& frigus docet deinde Ariſtoteles qui nam venti reſpondeant partibus anni,& diuidit terram in quinque zonas:comparat deinde Aquilonem cum Auſtro docēs hunc ſpirare a polo antarctico,ſed de hac re in problematibus ſeſſione 24.

Docet c. 6, qua parte mundi ſpirent venti,quinam ſint contrarij,qui ſint principales poſtremo dicit eorum efficaciam oſtendens

qui

qui humidi,qui ſicci ſint,qui ęſtiuoſi,qui niuales,qui flumina parant,qui grandines noᶜte,multos eſſe orientes, & occidentes, nam alius eſt æſtiuus ſiue ſolſtitialis,ea pars cœli: Vnde ſol oritur in ſolſtitio, æſtiuo in cancro, punctum vero poſitum ex latere eſt occidens æſtiuus, alius eſt oriens æquinoctialis,ideſt ea pars cęli; Vnde ſol oritur e regione per diametrum tempore verni æquinoctij, quod fit ſole ingrediente arietem, punctum verò e regione per diametrum poſitum dicitur occidens æquinotialis, quod eſt in principio libræ, ſi quis totum cœlum æquis partibus diuidat. rurſus eſt alius oriens hybernus, punctum ſcilicet, vnde ſol oritur in ſolſtitio hyberno, quod fit dum ingreditur capricornum, & huic opponitur, licet non ſecundum diametrum,aliud punctũ in quo eſt occidens hybernus ſiue brumalis: ex his patet qui venti contrarij ſint,illi videlicet qui ſpirant diametro inter ſe diſtantibus, & qui venti habeant qualitates contrarias, cum prouenîant ex diuerſis partibus cęli,&c.

## De Terremotu.

Capite ſeptimo,& octauo docet Ariſtoteles generari ex exhalatione ſicca, & calida,

G 2 quæ

quæ leuitate ſua quærens maiorem locum aſcendere, & inueniens impedimētum ideſt ſoliditatem terræ, quæ reſiſtit, magno impetum terram concutit, ita vt aliquando ipſa ſe attollat in montem; aliquando generatur caua ſecundū quod maior, vel minor eſt copia exhalationis; generatur autem maxime in locis montuoſis, & marinis, & vbi nō ſunt venti ſuper terram, & huic terremotui videtur eſſe ſimilis quidam ſpiritus per occultos meatus in corpore animalis vadens, qui aliquando quatit, & tremefacit totum animal; ſigna terremotus ſunt aquæ turbidę puteorum.

## De tonitru, fulmine, fulgure, & coruſcatione.

Capite vltimo dicit eſſe exhalationem incluſam in nubibus, quæ exitum quærens, & non inueniens erumpit, & ex motus impetu inceditur, & dicitur fulmen; tonitrus verò eſt ſonus, qui ante incenſionem exhalationis concuſſu nubium excitatur.

Dicit poſtremò Ariſtoteles prius fieri tonitruum, poſtea fulmen, ſed fulmen ante videri, quàm audiri tonitruum; & hoc eſt facilè oſtendere ex natura, ac vi auditus, & viſus, quorū ſicut hic & nobilior eſt, & excellentior,

tior, ita rem longius poſitam citius euidentius quæ percipit, quam auditus, nam viſus percipit ſuum obiectum à ſubita mutatione, auditus non ſic, niſi concurrente motu, qui ſonum defert per medium, ſic videmus ante ſublatam eſſe ſecurim, quam ſonum audiamus excitatum. fulmen, vt ab alijs diſtinguitur, eſt exhalatio magna eruptione deorſum cadens. fulgur eſt exhalatio arctiori fiſſura, & veluti rima nubem perfringens, ac minori impetu deorſum cadens. coruſcatio dicitur exhalatio in latera nubis validè illiſa, & inflammata, quatenus poſtea ſubito apparens viſum perſtringẽs: ſed omnia ſunt idem materia, & ſpecie.

## De Procellis.

Tractat Ariſtoteles c. 1. lib. 3. meteororum de duabus procellis, de Ecnephia, & Tiphone, quæ ſolent crebro ſequi tonitruum, dicit Ecnephiam generari ex exhalatione craſſa vndique incluſa, & circunſcripta, quæ nubẽ latè rumpens magno impetu deorſum in gyrum rotata fertur: cauſam autem huius rotationis eſſe anguſtiam exitus dicit Plin.

## De area, & Iride.

Cap. 2. Ariſtoteles tractat de area, iride, paralellis, virgis, & alijs quæ proueniunt ex diuerſitate radiorum viſu alium reſpectu luminis cęleſtis per radiũ luminoſum intellige lumen per medium diffuſum per radium viſibile, ſiue viſualem ſpeciem, ſiue ſimulacrum ex rebus viſu perceptibilibus emanans diffuſum per medium; porrò duplex eſt radius, vt docent perſpectiui, vnus perpendicularis, qui cadens in aliquam ſuperficiem facit angulos inequales, quorum alter eſt obtuſus, alter acutus alius eſt radius rectus, qui ſpargitur per medium perſpicuitatis ſecundum lineam rectam; eſt inſuper alius reflexus, qui in mediũ craſſius quam, vt queat penetrari diffuſus in ſe rectè recurrit, & reſilit in aduerſam partem, vt videmus in ſpeculo; & ex hac viſione duo radij; rectus quia corpore porrigitur, reflexus qui a corpore in quod incurrit eſt protenſus duo anguli conſtituuntur quorum alter incidentię vocari ſolet, alter angulus reflexionis, qui radio recurrente, & planitie corporis reuerberante clauditur, angulus reflexus qui radio recurrente, & planitie corporis reuerberantis continetur, quorum quidem angulorum vterq; minor eſt recto, niſi

niſi vndique in ſe radij occurrant; tūc enim duo recti anguli conſtituuntur; præter duos radios prædictos eſt tertius; qui dicitur refractus. in generatione coronæ halonis, tres radij cōcurrunt rectus reflexus, refractus, eſtq; halo nubes vniformis æqualem habens raritatem, & denſitatem in omnibus partibus, hic prohibitus eſt penetrare ad extremas partes nubis, & ideo ſpargitur, ex qua diffuſione circulus totus lumine in orbem colluſtratur; & hic circulus dicitur halo ſiue corona, & area, quod idem eſt.

## De arcu Cœleſti.

In c. 3. agit de ſignis pluuię, & ſerenitatis, & de alijs quibuſdam, ſed ipſum lege.

In cap. 4. agit de arcu Cœleſti oſtendens quomodo ex reflexione radiorum, & refractione Iris generetur.

Capite 5. dicit Ariſtoteles nunquam apparere Iridē maiorem ſemicirculo: pro quare nota quod qui ſtat in centro orizontis nō videt niſi medietatem cœli; quare oculo poſito in centro orizontis iris apparet veluti ſemicirculus: cęterum irridis arcualis figura per totum Emiſpherum porrigitur, & cum ſol meridianum tenet, iris apparet minimę quantitatis, quia iridis, centrum eſt in

puncto, quod e regione noſtri meridiei punctum reſpicit directè videlicet ſub orizonte, quia meridiei correſpondet angulus noctis ſicut orienti occidens: generatur Iris qualibet hora, poſt æquinoctium autumnale; æſtate vero non fit niſi incipiente, aut inclinãte die,; & ratio, quia medio die ſol calidiſſimus nubes vincit, nec poteſt ab illis imaginẽ recipere, quas ſcindit, at mane, & veſperi, cũ ſit minus calidus poteſt ſuſtineri, repercuti a nubibus, & cum dies breues ſint ſemper obliquus eſt itaque qualibet hora etiam dum altiſſimus eſt habet aliquas nubes quas ex aduerſo ferire poteſt, at temporibus æſtiuis ſupra noſtrum verticem fertur, itaque meridie altiſſimus terras rectiore linea aſpicit, quam vt vllis nubibus, poſſit occurri, omnes enim tunc ſub ſe habet.

## De Virgis.

Generantur virgę, ex capit. 6. cum nubes fuerit deformis in vna parte rarior, in altera denſior. quare refringitur in ea radius ſolis, & per multas partes nubis, vtpote rariores in longum porrectus longe deorſum videtur, & ſic cum guttæ aqueæ. ex nube ſoluta decidunt radij ſolis; in eis ita refringuntur, vt quaſi virgæ quædam appareant.

De

Digitized by Google

## De Mineralibus.

Lapides generantur ex ſpiritu calido, & ſicco, ideſt exhalatione terreſtri, quæ idonea eſt, vt ſub terra corpus tantæ molis, & duritiei, inde componatur, metalla vero generantur ex vapore. Quocirca & idonea ſunt, quia vapor humidus eſt vt liquari fundiq; queāt. videmus enim omnia ferè metalla igne adhibito fundi, quemadmodū, & nubes in frigore dēsātur in pluuiā & diſſoluuntur cōtra verò metalla frigore concreſcit, ac conſlātur ſicut vapor ex actione frigoris, metalla enim ex vapore, vt propria materia conſtant.

## De affectionibus quæ conſequuntur mixtum.

De ijs Ariſt. tractat per totum lib. 4. meteororum, & nota quod ex quatuor qualitatibus conſtant omnia mixta, nam artifex eſt calor materia humidum, quod firmum ſit a ſicco, vt recipiat actionem caloris, calido vero adeſt frigidum, vt materiæ proportioni reſpondeat. quare humidum ante actionem nullum terminum habet. poſt actionem caloris ſequitur forma, hanc transmutationē generationem vocant miſti, illa vero pro

quam

quam mixtũ diſſoluitur per putrefactionẽ. Poſthæc Ariſt. tractat de rebus ſubſiſtentibus, per quas res ipſæ aut perficiuntur, aut perfectæ, & abſolutæ perducuntur ad terminum legitimum ſunt aũt digeſtio, &c. huius ſunt ſpecies maturatio elixatio aſſatio. calor enim ſolus, vt efficiens facit maturationem vt iunctus cum humido elixationem, cum ſicco aſſaſionem. ſanguis igitur eſt elixatio quia eſt a calore cum humido. bilis aſſatio, quia à calore cum ſicco flegma opponitur elixationi; eſt.n. quid inconcoctũ his Ariſt. ſubiungit effectus qualitatum paſſiuarũ, quę ſunt mollities durities, mollia ſunt quæ habent plurimum humidi, dura quæ ſicci, & quia hæ fiunt congelatione, & liquatione de his agit in fine 4 meteororum.

## Dubitationes.

Prima igitur quæſtio eſt cur non videatur ignis. Reſpondeo quia eſt in ſupremo loco (nam nobiliori corpori debetur nobilior locus, & eſt maxime rarus; vnde etiam eſt, vt neque aer videatur, qui tamen eſt decies denſior igne. ſecunda quæſtio eſt cur media regio ſit frigidior, & infima calidior, reſpondet, quia infima caleſit duplici radio, ideſt di

recto,

recto, & reflexo medio vero nõ directo, quia non eſt diſpoſita, propter nimiam frigiditatem vaporum. 3. quæſtio, quare non generantur nubes in ſuprema regione reſpõdet, quia igni eſt contigua calefit ab eo, vt non poſſit condenſari calore diſſipante.

Dices, quomodo per motum localem generatur calor; reſpõdeo, quia motus diſpergit ſpiritus, & ſanguinem, per membra, ita in paſſionib. animæ per ſpiritum, varie afficiuntur membra.

Hinc oritur quæſtio an materia horum, ideſt exhalatio, & vapor differant ſpecie ab elementis. Reſp. eſt eiuſdem ſpeciei alias vnũ elementum non poſſet immediatè ex alio generari, qui ignis non fit niſi ex exhalatione; ſecundo, quia vapor reducitur ad aquam & exhalatio ad terram.

Dices, formam ſubſtantialem terre, non poſſe ſtare ſub illa ſubtilitate. Reſp. poſſe, licet non multo tempore quemadmodum fumus per ſe elicitur ex quodam humore liquido ligneo, qui ignis eſt; cum tamen conſtet lignum non eſſe ignem.

Dices quare generantur extra tropicos? Reſpondeo, quia intra diſſipatur vi caloris.

Dices ibi non eſt corpus durum, ergo nõ poteſt generari ſonus. Reſpondeo eſſe nubem

bem denſam, loco corporis duri, erumpit autem tonitrus in inferiori parte nubis, non in ſuperiori, quia in ſuperiori eſt maior antipariſtaſis ratione ignis.

*Finis Lib. Meteororum.*



Digitized by Google

# LIBER PRIMVS
## DE ANIMA.

PHyſicus ex capit. 1. & ſequentibus vt docet Ariſt. conſiderat de anima, quia qui conſiderat paſſiones, conſiderat & ſubiectum, quod eſt non ſolum corpus, ſed anima; eſt autem ſcientia de anima nobiliſſima ratione ſubiecti, & omnibus neceſſaria; quia omnes aquiruntur lumine intellectus, & cum non definiatur forma ſine materia, quia anima non habet eſſe completum in ſpecie. non definitur ſine ſubiecto ex operatione autem maxime ex motu, & ſenſu venimus in cognitionem illius; anima igitur non eſt corpus, quia non poteſt eſſe principium motus, ſed vt tale corpus; quod autem ſit tale eſt ab anima; omnes partes animæ quidditate non ſubiecto diſtinguuntur, ordi-

Digitized by Google

ordinantur enim ad diuerſas operationes; aliquæ tamen partes etiam ſunt diſtinctæ ſubiecto; nam viſus eſt in oculo, auditus in aure: non eſt corruptibilis, quia illud corrumpitur, quod pendet a materia, & per ſe ſubſiſtit quia habet operationem eleuatam ſuper materiam, corruptio autem eſt ſeparatio ab ipſo eſſe. at ipſi proprium eſt ſubſiſtere; eſt immortalis, quia appetit ſemper eſſe, & appetitus ſequitur apprehenſionem: quinque ſunt potentiæ, vegetatiua motiua, intellectiua, ſenſitiua, appetitiua; appetitiua enim eſt principium motus in animalibus, & quidditate diſtinguitur ab alijs; vegetatiua eſt actus corporis organici, habet virtutem nutriendi, augmentandi, generandi; eſt tota in toto, & in qualibet parte, ſed vt motor eſt indeterminata parte, potentia ſpecificatur ex obiecto; quia duplex eſt obiectum, ſed quinque potentiæ. Nam vel eſt corpus animatum, & ſic eſt vegetatiua, vel ſenſibile, & ſic ſenſitiua; vel ens in vniuerſali, & ſic intellectiua; vel tendit in finem, & ſic appetitiua; motiua vero vt anima operatur ad aliquid exequendum; ſed de ijs tutius in Theologia.

## Dubitationes.

Dices, ſpectat ne ad Phyſicum tractare de anima?

Digitized by Google

anima? Reſp. ratione medij, non ſubiecti, medium enim eſt ſenſibile, ideſt motus, ſed de ſubiecto vt intellectus eſt, reduplicatiuè ſpectat ad metaphyſicum.

Dices, quo modo ratione obiecti alijs ſciẽtijs nobiliſſima eſt illa de anima, cum magis ars, & ingenium demoſtretur in materia vili primo de partibus, & teſtatur Auer. 12. Metaphy. 18. Reſp. nobilitatem in arte ſumi ex materia vili, quia nobilitas materiæ obumbrat vigorem artis: ſecundo ex difficultate, nam materia vilis difficile recipit formam artis: hinc eſt quod etiam plus, vt docet Themiſtius, miramur generationem animaliũ ex putri materia ratione tamen obiecti ſimpliciter eſt nobilior ſcientia de anima.

Dices, eſt ne tantum vna anima in viuente? Reſp. maxime, quia viuens vnum eſt, & ſi vna non eſſet: vna reciperetur in alia, & ſic eſſet accidens. Verum nota, quod potentiæ ſunt plures ipſius animæ, quia anima rationalis virtute continet ſenſitiuam, & vegetatiuam.

Dices, animæ imperfectorum ſunt ne indiuiſibiles? Reſp. non, quia educuntur de potentia materiæ, dicuntur tamen aliquo modo indiuiſibiles, quia diuiſione non perſeuerant.

Dices, anima eſt ne inſeparabilis à corpore?

rè?

te? Reſp, ſi eſt aliqua affectio propria animę, quæ non ſit communis corpori, eſt ſeparabilis, ſi non, inſeparabilis. & ſecundum Ariſto. eſt difficultas, quia licet intelligat anima ſine organo corporeo, intelligit tamen obiectum corporeum, verum etiam ſecundum ipſum eſt immortalis, vt dicemus in libro 3. Reſpon. tamen ſecundo quod anima poteſt concipi, vt anima, & vt intellectus, eſt enim differentia, primo de anima, tex. 28. anima igitur vt ſic non poteſt eſſe ſine corpore, ut vero intellectus cum non ſit uirtus organica, ſed ſolum coniunctus ſecundum operationem, poteſt eſſe ſine corpore, eſt enim anima, ſicut nauta in naui, qui vt ſic dicit reſpectum ad nauim, tamen poteſt eſſe ſine illa; fallitur ergo Alexander, qui dixit animam eſſe inſeparabilem, & mortalem.

Dices, qua ratione probatur animam eſſe totam in toto, & in qualibet parte? Reſpon. quia potentiæ animæ, quæ non poſſunt ſeparari a propria forma, ſunt in toto, & in qualibet parte.

Dices, videtur Ariſtot. dicere tex. 24. animam, ſiue intellectum non eodem modo exiſtere in omnibus, hoc uidetur repugnare unitati intellectus? Reſp. loquitur de uirtute cogitatiua, quæ non eodem modo exiſtit præparata in omnibus, intellectus autem de

quo

quo dicit Auerroes eſſe vnum in omnibus, eſt intellectus abſtractus a materia.

Dices, tex. 79. dicit oſſa non ſentire, & hoc eſt contra medicos, qui dicunt in febri tertiana fieri læſionem vſque ad oſſa. Reſp. quod ſenſus communicatur oſſibus medianate panniculo inuoluente, ſed ſecundum ſuã ſubſtantiam carent ſenſu; idem dicendum de cerebro, epatè, & pulmone.

*Finis Primi Libri.*



Digitized by Google

# LIBER SECVNDVS DE ANIMA.

DEfinitiones animę in vniuerſali duæ ſunt, vt habetur ca. 1. & 2. prima, Anima eſt actus corporis organici potentiam vitæ habentis; ſecunda anima eſt principium, quo viuimus, mouemur, & ſumus; quæ definitiones non ſolum ſunt animæ rationalis, ſed etiam aliarum.

Secundã definitionem colligit Ariſtoteles ex gradibus animatorum; quatuor enim ſunt genera viuentium, & dicuntur gradus, quia poſterius genus ſemper includit priora; diuerſitas autem horum ſumitur ex diuerſitate potentiarum animæ, quæ a ſe inuicẽ poſſunt ſeparari. Ideo appetitus, & ſenſus; cum numquam à ſe ſeparentur, non conſtituunt diuerſa genera viuentium. primum genus eſt, quod tantum viuit, in hoc ſunt

plantæ:

plantæ: ſecundum quod viuit, ſentit, & non progreditur, & ſic ſunt imperfectiora bruta, vt conchyliæ; tertiũ, quod etiam progreditur, vt animal perfectum; quartum q̃d intelligit, vt homo; anima igitur eſt, quo viuũt plantæ, ſentiunt animalia, progrediuntur perfectiora, intelligit homo. Hic poſſent fieri aliquæ quæſtiones, primo an ſit tantum vna anima in viuente, an in vno compoſito ſubſtantialis vna ſit forma. Reſp. vnam eſſe tantum formam, qua homo eſt animal, & homo, & vna forma in compoſito, & vna qua quodlibet compoſitum eſt genus, & ſpecies; poteſt hoc probari ratione, quia ſicut a forma res habet, quod ſit, ita quod vna ſit. Nam ſi ſortes non eſſet animal & homo per vnam formam, non eſſet vnum compoſitum; ſecundo quia anima reciperetur in alia, & ſic non daret eſſe ſimpliciter, & ea recedente nihil ſimpliciter corrumperetur; eſt igitur vna anima, ſed multiplex facultate, quæ adiuuantibus varijs inſtrumentis varias functiones exequitur, alendi, ſentiendi, &c. Contrariæ ſententiæ eſt Ocã, ſed decipitur, & ideo Ariſt. c. 3. 2. de anima comparat animam formæ mixti; quæ formas elementorum continet & figuris, quarum vna continet aliam, vt Tetragonus Trigonum.

In cap. 3. enumerat animæ vires quæ ſunt

numero quinque vegetatiua ſenſitiua loco motiua, appetitiua, intellectiua, vegetatiua ſub ſe continet nutritiuam augmentatiuam generatiuam. ſenſus diuiditur in iraſcibilem & concupiſcibilem, & quia ſenſus, & appetitus ſemper ſunt in vno. & licet quinq; ſint potentiæ, ſunt tamen 4. genera animatorũ. Anima vegetatiua ex c.4. habet pro obiecto alimentum, huius operationes ſunt, nutritrio, accretio, generatio, facultates, potentia gignendi, augendi, nutriendi. Nutritio eſt prima operatio, & hic reprehenditur Empedocles, qui attribuebat cauſam elementis, per terram enim deorſum, & ignem ſurſum putabat plantas nutriri, & creſcere. improbat, quia ſi in ramis eſt ignis, a quo detinetur, ſi ab anima plantæ. ergo hæc eſt cauſa, non elementa. ignis deinde creſcit in infinitum, at animalia determinant ſibi ſtatum, igitur alimentum, vt potentia animatum pertinet ad nutritionem, vt quantum ad augmentationem, ſed vt ab anima vim gignendi accipit, eſt obiectum; Nutritio eſt conuerſio alimenti in ſubſtantiam corporis animati, ab anima vi caloris naturalis, huic potentiæ nutritiuæ, quæ conuertit cibum in ſubſtantiam, quatuor facultates deſeruiunt, vis attrahens, ex compellens, retinens, coquens; Augmẽtatio fit appoſitione nutrimenti, per

quam

quam corpus viuens extenditur. Generatio differt ab alijs, quia illæ reſpiciũt corpus ſingulare, & in ſpecie. Nam generatio eſt mutatio ſeminis in corpus animatum ſimile illi, de quo ſumptum eſt, dicuntur enim animata generari ad differentiam inanimatorum, quia ſemen ſe habet tali modo ad corpus generans, quod poteſt in ſubſtantiam illius conuerti tempore neceſſitatis, & ideo generari dicuntur de propria ſubſtantia, a huic deſeruit virtus alteratrix, quę immutat materiam, alterando ſemen in qualitatibus tangibilibus viſibilibus, vt poſſit ex illo fieri neruus, deinde agit virtute oſſifica. virtus vero formatrix, quæ artificioſa eſt, de qua dubitauit Ariſtoteles, an ſequatur temperiem elementorum, vel ſit quid diuinioris originis, compagem facit, & mutuum complexum, cauitates internas ſoliditates &c.

Ex c. 5. & 6. Differentia eſt inter potentiã vegetatiuam, & ſenſitiuã, quia ſenſus eſt potentia paſſiua, vegetatiua vero alterat ſuum obiectum; differentia inter intellectum; & ſenſum, quia intellectus intelligit vniuerſalia, ſenſus vero particularia. Hic poſſet eſſe dubium de ſpeciebus, an dentur. Reſp. dari. quia Ariſtoteles docet mouens, & mobile ſimul eſſe, & primo de generatione dicit agens non agere in diſtans, ergo cum color

diſtet à viſu, ſunt ſpecies in medio; patet ex-
perientia, quia homo videtur in ſpeculo, qui
eſt poſt terga, lignum etiam in aere, & aqua
videtur fractum, non niſi quia ſpecies ſunt
rariores, vel denſiores.

In c. 7. agit de ſenſibus in particulari, &
primo de viſu de quo Ariſtot. c. 7. 2. de Ani-
ma, obiectum viſus eſt viſibile, a colore autē
diſtingui lucem patet, quia color mouet me-
dium actu illuminatum, lux autem alteran-
do medium ipſum actu perſpicuum reddit;
eſt autem color motiuus eius, quod eſt actu
perſpicuum quatenus tale eſt; differt lux à lu
mine, quia lux eſt qualitas lucido corpori
naturaliter inſita, ſed lumen perſpicuo cor-
pori extrinſecus aduenit, quo fit vt dicamus
lumen aeris lucē ſolis; cum igitur quibuſdam
corporibus lux inſit alijs tantum color, alijs
etiā lux, Ariſtoteles ponit tria viſibilia, pri-
mum quod uidetur in lumine, ſecūdū quod
ī lumine, & tenebris, tertiū quod in tenebris,
sūt. n. quædam corpora colorata, quædam
ſimul lucida, vt adamantes, & c. uerè tamen
ſine lumine non eſt uiſio quia lux ſua ſpe-
cie facit videre colorata, & illud medium,
per quod vident animalia noctu; eſt affectū
aliquo lumine à luce oculis illis innata, ignis
vero ſua natura poteſt medium illuminare;
dicitur tamē videri in tenebris, quia ibi adeſt

parum

Digitized by Google

parum luminis. oculus, ſiue viſus eſt ſenſus exterior, qui perceptiuus eſt coloris, & lucis; organum eſt pupilla, ſiue humor criſtalinus, qui natura ſua lucet, & a cerebro per neruos opicos, ſiue victorios facultatem videndi tribuit, & licet ſint duo oculi non videtur tamen duplex obiectū, quia ſpecies coeunt in neruis opicis, qui intra coniuncti ſunt; videtur tamen res geminata, quando oculi ſunt diſtorti.

De ſono in capite octauo, agit Ariſtoteles, & dicit tria requiri corpus percutiens, percuſſum, & medium, & quia ſępe fit in ſono, ſicut in lapillo proiecto in aquam; fiunt enim circuli, ideo hæc regiratio, ſiue reuerberatio, quæ fit a corpore dicitur echo, & quoniam pars poſterior plus impingit quā prima, vltima ſyllaba plus auditur. differt ſonus a colore, quia color emittit ſpecies, quæ deinde producunt alias; ſonus vero realiter diffunditur per medium.

Hic cap. 9. Ariſtot. agit de odoratu, dicit hanc tractationem eſſe difficilem; quia in hoc præcipuè ſenſu, homo vincitur ab omnibus animalibus, licet ſolus homo percipiat odores cum delectatione, & dolore; organum eſt ſub cerebro ſupra naſum in iunctura frontis, vbi duæ camiculæ ſunt poroſæ, q̄ ad inſtar follis aperiuntur, inſtrumen-

num quod frigidiſſimo cerebro vicinum eſt, viciatur de facili, quod non ita aduenit alijs animalibus hinc patet, quare fatui plus ſentiant odores, habent enim minus cerebri, obiectum eſt odor, quem Ariſtoteles dicit cognoſci per Analogiam ad ſaporem, ideo dicimus odorem ſuauem, &c. Nullaque differentia eſt in ſapore, quæ guſtum hominis lateat, qui perfectiſſimus eſt in illo. definitur odor eſſe partis ſiccæ, & ſapidæ in perſpicuo corpore mixtio, vel eſt qualitas perceptibilis olfactu nata ex ſapido ſicco, decocto per vim caloris in humido, vt poma per maturitatem concocto terreſtri ſicco odorifera fiunt; ideo dicit Ariſtoteles dominari in odore ſiccitatem, in ſapore humiditatem; verum quia calor diuerſo modo miſcet humiditatem cum ſiccitate diuerſæ ſunt ſpecies odoris. Quare ſicut ſiccum terreum humori permixtum efficit ſaporem, ita ſiccum ſapidum decoctũ in humore parit odorem; ſed vtrobique mixtionem operante calore, vnde ſequitur odorem poſteriorem eſſe natura ſapore, nihilque eſſe odorabile, quod non ſit particeps ſaporis. definitur ſapor a Theophraſto eſſe partis ſiccæ, terreæq; in humore demixtio.

Quare autem quidam ſentiant odorẽ reſpirando, quidam ſine reſpiratione eſt, quia

in

in illis inſtrumẽtum, ſiue organum eſt opertum pannicula, quæ per reſpirationem tollitur.

Hic cap. 10. agit de guſtu, & tactu, & dicit guſtum eſſe quemdam tactum, quia videlicet hi duo ſenſus nõ egent externo medio, & quia nunquam guſtus percipit guſtabile, niſi & tactus tangibile, ſapor nanque in liquore guſtatur, nec quicquam ſine humore hoc ſenſu percipitur, ideo nonnullis videtur eſſe in lingua idem organum tactus, & guſtus diſtinctum ſola ratione; tamen probabilius eſt in lingua eſſe duos neruos, altero quorum guſtus vtitur, altero tactus; organũ guſtus eſt neruus in lingua protenſus, qui eſt expanſus vſque ad ſtomachi orificium, lingua igitur non eſt inſtrumẽtum, quia ſapor poſitus ſupra linguam guſtatur, at ſenſibile poſitum iuxta ſenſum non facit ſenſationẽ, medium igitur eſt caro linguæ, cui natura dedit ſaliuã, quia durum, & concretũ guſtari non poteſt niſi humectetur, & quia nihil poteſt guſtari, niſi humidum, Ariſtoteles colligit organum guſtus, neque humidum eſſe, neque tale vt humectari non poſſit. ideo infirmi, qui habent ſiccitatem non guſtant, ſic ebrij propter immoderatam humiditatem. obiectum guſtus eſt ſapor, eſt autem ſapor qualitas ſenſibilis nata ex humido decocto per

Digitized by Google

per vim caloris in ſicco, ſaporũ genera ſunt dulce, amarum, &c. Galenus autem conſiderans temperaturam corporum, quibus ſapores inſunt acre, acerbũ, contraria eſſe vult, & extrema: dulce; & amarum media, acre enim eſt ſignum temperaturæ calidæ; acerbum frigidæ.

De tactu agit cap. vndecimo. Huius organum eſt neruus quidam ſparſus per totum corpus ſparſus ſub cute in modum retis, oritur autem a neruo ſpinali medullæ, aut cerebri; male igitur Galenus, qui putat dentes habere tactum. non enim habent hunc tactum; fit igitur tactus in gingiua; debuit autem hæc pellicula eſſe diffuſa per totum, quia obiecta ſunt efficacia, & maximæ actiuitatis, igitur vt animal poſſet fugere nociua, debuit habere expenſam hanc pelliculam, & cum habeat corpus compoſitum ex quatuor qualitatibus, tactus non percipit, niſi exuperantiam illarum; non eget tactus externo medio, licet aliquando per accidens ſit tunica, &c. eſt. n. medium ſitu; & poſitione non cauſalitate.

Hic cap. 12. agit de omnibus ſenſibus, & dicit omnes ſenſus recipere imagines ſine materia, corrumpi ab excellẽti obiecto, omnes habere ſuum obiectum, a quo & mediũ, per quod patiuntur, organum in quo exercent

cent ſuum munus, nullum ſenſum poſſe percipere, niſi per accidens obiectum alterius; omnes requirere certam diſtantiam, omnes percipere ſuum obiectum, & eius priuationem, ſed hanc per accidens; in fine capitis quærit cur nõ ſentiant plantæ, dicit quia ſunt nimis terreſtres, nec in illis eſt potentia, quæ recipiat ſpecies ſine materia, ſed patiũtur ſimul cum materia, ideſt alterantur recipiendo veram qualitatem; deinde proponit quæſtioné, an illud ſolũ patiatur a ſenſibili, quod habet ſenſum, dicit pati medium organum, & ſenſum, ab odorabile quidem aerem, aquam, olfactum, & eius organum; Agit quoque ſonus in aerem, & aquam, quæ maxime paſſiua ſunt, non autem in corpora quæuis alia niſi per accidens ratione coniuncti.

## Dubitationes.

Dices, Animalia poſſunt ne exercere in ſomnis opera vitę? R. ſic q̃a ſenſus exteriores ſunt quodammodo ligati, & quodãmodo ſoluti, ſpiritus enim deſeruientes virtuti motiuæ ſunt ſoluti; vt vero animalia non percipiunt ſe videre, ſunt ligati, & ſic vtuntur phãtaſmatibus pro rebus.



Digitized by Google

Dices, quæ differētia eſt inter ſenſum hominis & bruti? Reſp. ſenſus hominis intelligit differentias rerum, & intentiones, ſenſus vero bruti, quæ ſolum ſunt extra, veluti cortices fructuum.

Dices, ſenſus decipitur ne circa rationem communem ſui obiecti? Reſp. non, quia viſus non percipit, niſi viſibile; decipitur tamē aliquando circa rationes particulares obiecti, nam album videtur nigrum, immo & ſimpliciter decipitur in applicatione, ideo manus poſt vitrum rubeum, apparet rubea.

Dices, quare ſenſus non poteſt percipere ſuam ſenſationem eodem actu, quo ſentit? Reſp. quia non poteſt eſſe vnum, & idem obiectum, & actus.

Dices, ſentire ſenſationes ſenſuum exteriorum eſt ne operatio ſenſus exterioris, vel interioris? Reſpon. tam in homine, quam in bruto, eſt interioris.

Dices, potentiæ diſtinguuntur per actus, & obiecta, & tñ potētia eſt prior actu. Reſp. non eſt prior ſimpliciter, & quia omnis potentia ordinatur ad actum, & ſi eſt vnius, & non alterius, colligitur eſſe diſtinctā ab alia.

Dices, potentiæ animæ ſunt ne realiter inter ſe, & a ſubiecto diſtinctæ? Reſp. maximè, quia vna ſeparatur ab alia, & potentia eſt accidens, & ſubiectum eſt ſubſtantia.

Dices

Dices, potentiæ vegetatiuæ ſunt ne realiter diſtinctæ? Reſp. ſic, quia generatiua facit ſemen, & non eſt in toto corpore ſicut augmentatiua, & nutritiua.

Dices, ignis augetur lignis, & oleo, ergo non ſolum animalia. Reſpon. non nutritur, quia generatur aliud indiuiduum; quod non accidit, quando nutritur animal.

Dices, Guſtus eſt ne diſtinctus a tactu? Reſpond. duplex eſt guſtus, vnus, qui eſt perceptiuus ſaporum, alius qualitatũ exiſtentium in ſaporibus, hic diſtinguitur ratione organi, quia recipit qualitates nutrimenti, in parte determitata; ille uero ſimpliciter.

Dices, eſt ne phantaſia in omnibus animalibus? Reſp. ad mentem Simplicij, triplex eſt phantaſia perfecta, imperfecta, & media; imperfecta, quando animalia nõ apprehendunt ſenſibilia, niſi in præſentia, perfecta in abſentia; media quando in abſentia; ſed de illis non recordantur, niſi dum ſunt in actuali exercitio, in rebus ordinatis ad illum finem.

Dices, viſus habet ne colores, vel eſt in potentia ad recipiendum, a quo cauſatur viſio? Reſp. eſt in potentia, alias oculus ſemper videret; eſt autem anima principium, actiuum formale ſenſationis, ſed mediante potentia ſenſitiua, quæ informata ſpecie obiecti

biecti elicit ſenſationem, & ſic eſt agens, & patiens, ſed diuerſa ratione.

Dices, quomodo obiectum producit ſpeciem? Reſp. difficilis eſt quæſtio, attamen dico, quod ſicut virtus generatiua exiſtens in ſemine virtute cœli producit animal, ita obiectum licet materiale, producit ſpeciem, quæ habet eſſe intentionale, & hæc eſt ratio cur Ariſt. non poſuerit motorem extrinſecum in ſenſu, ſicut in intellectu, quia iſte motor concurrit ſolum vniuerſali influentia cum obiecto at in intellectu eſt ponendus, quia ſpecies intelligibilis non poteſt reduci ad phantaſmata, cum exeat ordinem ſenſibilium.

Dices, ſpecies productæ ab obiecto ſunt ne materiales, vel ſpirituales? Reſpondeo iuxta ſupradicta ſunt ſpirituales; verum quia omnib. impoſſibile videtur ſpirituale poſſe produci a re ſenſibili, poſſumus dicere eſſe qualitates diuiſibiles, dico qualitates, & non quantitates, quia daretur penetratio; dico diuiſibiles, quia recipiuntur in ſubiecto quanto.

Dices, ſenſibile commune imprimit ne ſpeciem diſtinctam a ſpecie proprij ſenſibilis? Reſpondeo non, quia ſenſus per modum coniuncti percipit ſingulare proprium cum ſenſibili communi.

Dices.

Dices, idem ſonus numero peruenit ne ad aures omnium? Reſp. non, quia multi nõ poſſunt audire eundem ſonum.

Dices, sẽſus tactus recipit ſpecies ſui obiecti, cũ materia. Reſp. etiam terra ſic haberet ſenſum tactus; cauſa igitur ſentiendi per ſe in ſenſu tactus eſt receptio intentionalis, licet propter ſuam materialitatem recipiantur etiam ſpecies materialiter, ſed eſt per accidens.

*Finis Secundi Libri.*

LI-

# LIBER TERTIVS DE ANIMA.

CApite primo, ſecūdo, & tertio, de Anima probat Ariſtoteles dari ſenſum interiorem, quia exterior eſt potentia organica materialis, & non poteſt ſupra ſe reflecti. Secūdo quia ſenſus non diſcernit differentiam obiectorum; iſte autem ſenſus eſt triplex, communis, phantaſia, memoria, communis habet notitiam ſenſibilium communium, organum eius eſt anterior pars cerebri, phantaſia ex ſpeciebus ſenſuum exteriorum facit ſpecies rei non viſæ, verbi gratia, iucundæ, amici, inimici, hinc eſt vt ouis, viſo luplo, fugiat, imaginatur, n. illū inimicum; phantaſię etiam officium eſt componere, diuidere ſpecies, & hinc eſt, quod ſomniamus multa etiā horrenda, fabricat enim ſpecies montis, & auri, & fabricat montem aureum, organum

eſt

Digitized by Google

eſt ventriculus cerebri; tertius eſt memoria, huius officium eſt retinere, & conſeruare ſpecies, & per illas de abſentibus iudicare, organum eſt poſterior pars cerebri, vt omnes fatentur.

Cap. quarto, incipit tractationem de intellectu, & omiſſa difficultate de loco, & tempore, dicit in his tribus conuenire cum ſenſu; primo, quia caret omni paſſione corrumpente, recipere ſpecies eſſe formam non actu, ſed potentia; ex quo infertur male quoſdam arbitrari ſecundum Ariſtotelē intellectum eſſe immortalem, quia caret paſſione, cum ſecundum Ariſtotelem id etiam tribuatur ſenſui. ex his infert Ariſtoteles intellectum debere eſſe mixtum omni intelligibili, quia alias non poſſet omnia intelligere, ſicut guſtus, ſi ſaporem haberet, non poſſet guſtare; & ex hac parte probandam docet ſententiam Anaxagoræ qui cum omnia ex mixtione conſtare dixiſſet, intellectum dixit eſſe immixtum, vt omnia poſſet intelligere; improbanda eſt ſententia Empedoclis, qui dixit intellectum eſſe compoſitum ex elementis, vt omnia poſſet intelligere, putabat enim intellectionem fieri a ſimili; poſt hæc probat Ariſtoteles intellectum eſſe potentiam non organicam, alias conſiſtere in temperatura qualitatum, & ſic eas non

intelligeret. ſecundo, quia ſi vteretur organo; aut hoc ipſum organum intelligeret, aut non, ſi primum ergo medio alio ſi non ergo non omnia intelligeret. tertio, ſi organo vteretur, non æque obiecta excellentiora, & minus excellentiora cognoſceret, ſicut accidit in intellectu ratione organi, & intellectus intelligit omnia excellētiora, & minus; poſtremo docet intellectum eſſe locum formarum; an autem etiam ſenſus ſit non dicit, Themiſtius tamen affirmat; deinde dicit in hoc differre a ſenſu, quod licet ſenſus ſit impaſſibilis per ſe, eſt tamen paſſibilis ratione organi, non ſic intellectus, ideo ex primo de anima cap. 4. ſi ſenex acciperet oculū iuuenis videret, vt iuuenis, vbi inſinuat ratione organi hebetari ſenſum, non ſic intellectus, ſed quo excellentiora obiecta intelligit ſit magis idoneus.

Cap. 5. probat neceſſitatem officium, & materiam intellectus agētis, neceſſitas, quoniam materia non poteſt recipere formam, niſi virtute agentis, cum igitur in anima ſit aliquid, vt materia quod recipiat, debet etiā eſſe agens, quod deducat illam in actu, non ponitur autē in parte ſenſitiua ſenſus agens, quia ſenſibile, de ſe ſufficiēs eſt ad immutandum ſenſum per propriam ſpeciem; officiū intellectus agentis eſt perficere habilitatem

poſſi-

poſſibilis intellectus, ſicut & hic poteſt omnia fieri, ita iſte omnia facere, eo modo, quo lumen colores potentia viſibiles actu viſibiles reddit, quia ſine lumine nullæ ſpecies in medio ſpargũtur; Alexander male dicit hic intellectum agentem eſſe Deum, quia omnia agère ſoli Deo cõuenit, & quod eſt cauſa cæteris, vt intelligant maxime intelligibilis eſt, ſed de hac re Theologi, non enim intellectio eſſet formalis, & intrinſeca; naturam intellectus tradit cum dicit eſſe ſeparatum a corpore, immixtum, & præſtantiorem paſſibili, ſemper enim agẽs præſtantius eſt eo, quod intellige ſecundum ſuam eſſentiam, nam ſecundum intellectionem eſt inſeparabilis, quia nõ intelligit ſine phãtaſmatibus; petit igitur intellectio vt potẽtia a phãtaſmatibus pẽdens, at non omnino perit, ſed vt eſt in hoc, vel illo homine. ſubſtãtia tamẽ manet, quia incorruptibilis eſt, & immortalis. qđ ſi dicas intellectus ſi ſemper intelligit, quare non recordamur illarũ rerũ, quas didicimus? & mortui cur non recordantur? Reſp. non poſſumus reminiſci, niſi intellectus moueatur à phantaſmatibus, illa autem corrumpuntur; quare poſt mortem non eſt recordatio, quia licet intellectus ſit immortalis, corrumpitur tamen phantaſia; ex his patet eſſe differẽtiã iter intellectum paſſiuũ,

& intellectum potentia; prior enim eſt corruptibilis videlicet ſenſus interior, alter nō.

Hic cap. 6. diſputat de operationibus intellectus. duplex autem eſt operatio, ſimplicium apprehenſio, & compoſitio, ſiue diuiſio; differentia eſt quia prima nunquam eſt falſa, ſecunda aliquando falſa, aliquando verà, eſt exemplum de viſu, qui circa propriũ obiectum ſemper eſt verus, circa commune & alienum non ſemper, ita intellectus in operatione propria, quæ eſt circa quidditatē verus eſt, in operatione vero minus propria ideſt compoſitione, & diuiſione interdum verus, interdum falſus.

Capite 7. dicit intellectum practicum differre a ſpeculatiuo, quia eius finis eſt operatio iſtius ſpeculatio; deinde dicit in hoc conuenire cũ ſenſu, quia ſenſus primo apprehēdit rem, deinde eãdem percipit vt iucundã, aut moleſtam. tertio proſequitur, vel fugit. ita intellectus rem intelligit, deinde iudicat bonum, vel malum, tandem ſequitur, vel fugit, & quia apprehendit in phantaſmate concludit non ſine illo intelligit intellectus; phãtaſma enim eſt primum obiectum intellectus non quod, ſed quo intelligitur; deinde dicit quod ſicut ſenſus communis ſimul, & indiuiſibiliter cognoſcit dulce & amarum, ita intellectus practicus in tempore indiuiſibili;

bili, res omnes etiam contrarias relucentes in phantaſmatibus, vt diuitias, paupertatē, iudicat, atque inuicem comparat, & recte diſcernit, quibus conueniant, & quibus differant. differentia eſt quod intellectus ſæpe ea iudicat bona, quæ triſtia, & è contra: alia eſt ſimilitudo, quod ſicut ſenſus communis intelligit medijs ſenſibus proprijs, ita intellectus medijs phantaſmatibus.

Hic cap. 8. eſt quæſtio an ſemper intellectus ſe conuertat ad phantaſmata etiam dū intelligit immaterialia. Reſp. ex Ariſt. ſemper indigere, quia nihil eſt ī intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu, vel ſecundum ſe, vel aliquid ſui, quod dico quia vna res cognoſcitur mediante alia, ſicut anima mediante operatione; ſic Deus eſt in ſenſu ſecundum creaturas, quæ aliquid ſui ſunt; quare intelligentem oportet phantaſmata ſpeculari, vel illius rei, vel alterius, quæ cum re intellecta habet cognationem.

Dicit Ariſtot. c. 9. & 10. non ſufficere ſenſum, vel rationem ad motum prægreſſiuum quia incitatio ad motum principaliter eſt penes appetitum; igitur illius principium eſt appetitus coniunctus ſenſui, vel intellectui practico, non ſufficit intellectus, quia non mouerentur bruta, & pueri, non ſenſus, quia ſæpe poſtpoſito mouetur homo.



Digitized by Google

Capite 11. docet imaginationem, & appetitum eſſe principium in animalibus imperfectis, quibus natura non omnes ſenſus tribuit; eſſe autem appetitum patet, quia afficiuntur dolore, voluptate, nam ſi pungantur, dilatantur, & ſe contrahunt; Docet quomodo deinde homo moueatur a ratione deliberante, quæ omnia ſpectant ad Theologum; poſt hæc explicat rebellionem ſenſus inferioris aduerſus rationẽ. Cap. 1. vero vltimo omnia repetit, & docet omne animal eſſe præditum tactu ad vitæ conſeruationẽ, quia eo dempto non poteſt animal fugere exuperantiã primarum qualitatum, reliquis vero ſenſibus non omnia animalia eſſe prædita, & ex ijs colligit differentiam inter obiectum tactus, & cæterorum ſenſuum, quod excellens tangibile corrumpit animal, non autem excellens ſenſibile ſenſum; ratio quia corrupto tactu corrumpitur animal, ſed alijs ſenſibus pereuntibus non perit animal; quod ſi dicas neceſſarium eſſe guſtum, ſicut tactum. Reſp. tactus ut diſtinguitur ratione ſolum, & dicitur cuiuſlibet tangibilis perceptiuus; & guſtus ut perceptiuus alimenti guſtus eſt neceſſarius omnibus animalibus.

Du-

# Dubitationes.

Dices, ſenſus interior non prædicatur de pluribus, ergo non eſt dicendus communis. Reſp. dicitur communis, quia eſt terminus communis exteriorum.

Dices, quomodo ſenſus diſtinguitur ab intellectu? Reſp. ſenſus cognoſcit formam ſine materia, ſed non ſine conditionibus; materiæ ſenſus non videt, ſe videre, non ſic intellectus.

Dices, intellectus eſt ne forma? Reſp. maxime, quia nihil dat actum ſecundum, quin det primum.

Dices, intellectus eſt ne immortalis, ſi nō intelligit ſine phantaſmate? Reſp. phantaſia requiritur, vt potentia præuia præparans materiam intellectui, ideſt ipſa phantaſmata, ex quibus ſpecies eliciuntur. legendus eſt Ariſt. 12. Metaph. quærit enim an aliqua forma præcedat materiam, dicit quod non, ſed vtrum ſequatur nihil prohibet, non omnes quidem, ſed intellectus noſter; dico ego, ergo remanet poſt corpus.

Dices, quid ſenſerunt Philoſophi de intellectu? Reſp. Alexander dicit eſſe cauſatum ex mixtione elementorum. Auerroes vult vltimas perfectiones eſſe a motore extrinſe-



Digitized by Google

cto; Auicenna ponit datorem formarum. Temiſt. ponit motorem extrinſecum reſpectu animalium ex putri materia, commentator vult ſimpliciter omnes animas eſſe eductas de potentia materiæ, ſed mixtionem elemētorum non eſſe cauſam adæquatam, quia concurrit virtus formatiua in ſemine exiſtēs & motor extrinſecus, quia eſt forma ſeparata, ideſt intelligentia, a qua rememoratur talis virtus.

Dices, æternum non indiget corruptibili, ergo intellectus non eſt forma corporis? Reſp. non vnitur intellectus eo modo, quo volebat Alexander, qui dicebat Deum formaliter vniri intellectui poſſibili, generabili & corruptibili, hoc non poteſt eſſe, quia ſi æternum ideſt Deus informaret corruptibile, aliquo modo a corruptibili penderet.

Dices, intellectus cognoſcit ne ſingulare? Reſpondeo ſi cognoſceret caliditatem in igne, vere cognoſceret naturam caliditatis in ratione ſpeciei, vt vero in igne eſt ſingulariter cognoſcit. ſecundo reſp. cognoſcit in rōne ſpeciei, quia ad gradū entis ſolus Deus concurrit, ſed ad indiuiduum agens materiale, & ideo dicit Ariſt. 12. Metaph. ſingularia a Deo non cognoſci; tertio dico intellectus noſter cognoſcit ſingularia, quia ſingularitas, & materialitas vere intelligibilis eſt.

Dices,

Dices, eſt ne intellectus vnus in omnib. Reſp. non, quia virtus informatiua multiplicatur ad multiplicationem corporum.

Dices, ſpecies intelligibiles quare ſunt neceſſariæ in intellectu? Reſp. quia ad intelligendum, cum ſit indifferens ad hoc & illud, debet ab aliquo determinari.

*Finis Tertij Libri.*

PAR.

# PARVA NATVRALIA, ARISTOTELIS.

QVod facit aliquam difficultatem eſt, quod Ariſtoteles docet hic in principio omnia animalia habere tactum, & guſtum, quod etiam affirmat tertio de anima 64. ſecundo de partibus animalium c.13. & tamen oppoſitum videtur, quia ſpõgia marina, & vrtica marina non habent guſtum, prima nutriuntur ex rebus ſapore carentibus. ſecundo facit difficultatem, quod dicitur, capite 3. de ſomno, & vigilia, quædã animalia moueri, dũ dormiunt, & exercere opera vigilantium, & etiam dum ſomniant.

Pro ſolutione aduertendum ex Auerroe ſecundo de anima 31. quod omnis guſtus imperfectus neceſſarius eſt omnibus habentibus tactum, ſed aduertendum quod iſte guſtus licet non recipiat differentiam ſaporũ,

tamen

tamen diſtinctus eſt a tactu ratione organi, quoniam eſt indeterminata parte corporis.

Dico igitur quod tactus ſecundum quod eſt in ore animalis, aut in proportionato ore diſtinguens primas qualitates nutrimenti, dicendus eſt guſtus imperfectus, & ſic repetitur in omnibus animalibus etiam illis, quę affixa viuunt, quoniam nutriuntur ex nutrimento ſimpliciori, vt ſpongia, conchylia, &cæt.

Quo ad ſecundum dico Ariſt. 5. de generatione animalium cap.1. vbi reddit cauſam, cur infantes rideant in ſomno, & dicit ſenſu aliquo agitari; concludit, quod duplex eſt ſomnium, primo quod fit memoria, & imaginatione, ſecundo quod cum ſola imaginatione, & tales expergefacti non memorantur actuum, quos in ſomnio exercuerunt, poteſt etiam dici ſenſum aliquem eſſe in actu, vt videre eſt in vigilantibus, aliquem, qui nobis ſomniantibus contingit, nam imaginatio eorum, quæ vocantur inſomnia, ſenſus quidã eſt, aliquem tandem qui medius eſt inter illos, & contingit dormientibus, qui apertis oculis faciunt multa opera vigilantium, & iſti operantur a phantaſmate, ſed non eſt verum ſomnium. tertio reſpõderi poteſt quod in ſomnio vero hoc non contingit quia ſenſus exteriores ſunt ligati, in ſomnio vero illi

pro-

proprie dicto, quod homini contingit, quando ſenſus ſunt quodammodo ligati, & quodammodo ſoluti, quia ſpiritus, & nerui deſeruiunt virtuti motiuæ, hoc contigit aliquando, & ſic uerum eſt, quod dormientes exercent opera uitæ.

Sentire eſt paſſio totius animalis uiuentis, quia cuius eſt potentia, eſt & actio, ſed ſenſus eſt totius viuentis ergo. cum igitur ſomnus, & vigilia conſequantur partem ſenſitiuam, ſequitur quod plantæ non dicantur uigilare, nec dormire, niſi metaphoricè, quando pullulant, & Deus quia punit, uel non.

Piſces propter frigiditatem complexionis, ſerpentes, Dracones ſunt uigiles propter paruam nutrimenti euaporationem, ſimpliciter tamen omnia animalia dormiunt, quia uirtus ſentiendi indiget ſpiritibus ſibi miniſtrantibus à corde, qui debilitantur, & reſoluuntur, ergo neceſſe eſt ſenſum uacare, quæ uacatio dicitur quies, ſomnus.

Memoria, ut eſt uirtus conſeruatiua ſpecierum repræſentantium naturam rei abſtractam, eſt in parte intellectiua, nec diſtinguitur realiter ab illo; ut uero repræſentant cũ conditionibus indiuidualibus, eſt in parte ſenſitiua, ſicut dupliciter poſſumus conſiderare picturam, uel ut ſic, uel ut repræſentan-

tem

Digitized by Google

item ad conſiderationem, primam non ſequitur lętitia, uel paſſio, ſed ſecundam primo modo ſe habet phantaſia, ſecundo memoria circa imagines impreſſas, & ſpecies. eſt autem differentia inter memoriam, & reminiſcentiam, quod hæc ſit cum diſcurſu, non illa, & comparatur ad illam, ut motus ad terminum, contrarium eſt cauſa corruptionis, ſed triplex eſt contrarium corpus ratione qualitatum, locus continens diuerſas diſpoſitiones, & ſuperfluum, uel magis, & minus in eadē ſpecie: hinc collige quæ nā ſit cauſa corruptionis ſimplicium, & compoſitorum, & etiam ignis in propria, ſphæra & quæ ſit cauſa mortis.

## Dubitationes.

Dices, animalia, quæ habent memoriam habent ne prudentiam uidetur enim quod quod ſic, quia percipiunt tempus reſpectu præteriti, ex alia parte hoc uidetur non poſſe eſſe, quia tempus eſt numerus, & ſolus homo nouit numerare. Reſpondeo, quod animalia nō per ſe ſentiunt tempus, ſed per accidens, in quantum cognoſcunt motionem, & paſſionem, quam aliquo tempore acceperunt; ſola igitur materia temporis cognoſcitur a Brutis, ideſt cadere, uel olim cecidiſ-

ſe,

ſe, præteritum tamen tempus a præſenti, & futuro non diſcernunt.

Dices, intellectus ex Ariſtotele tertio de anima ſolum indiget cogitatiua,& rememoratiua in abſentia ſenſibilium, ergo erit intellectus ſine phantaſmate. Reſpondeo in abſentia magis principaliter, quam in præſentia,

*Finis Paru. Naturalium.*



Digitized by Google

# LIBER PRIMVS METAPHYSICAE.

ARISTOTELES in proœmio ait, quod vniuerſalia cognoſcuntur difficile, ſed nota quod non intelligit de vniuerſali ſecundũ cauſalitatem, quia dicit ideo ſunt difficilia, quia ſunt à ſenſibus remota, primum igitur efficiens, & prima materia ſunt difficilia, ſed vniuerſale quod eſt commune pluribus, & eſt genus facile eſt cognitu, imò ordine doctrinæ ab ipſo procedendũ eſt, vt habetur primo phyſicorum 4.

Docet ſecundo Ariſtoteles in hoc primo libro, vt habetur tex. 39. quod nihil mediat inter vniuerſale abſtractum, & materiale, intelligens nullam naturam eſſe in re extra, quæ non ſit, aut a materia, aut immerſa materiæ; de forma vero hominis vltima aliter



Digitized by Google

dicendum, quoniam media eſt, quia conuenit cum materialibus, & cum abſtractis, forſitan propter hoc dicit Themiſtius ſcietiam de Ani ma ee Metaphyſicam.

## Dubitationes.

Dices, quia in proœmio habet Ariſtoteles, quod omnis homo natura ſcire deſiderat, ſcientia eſt ne naturalis? inditæ ſunt ne ſpecies a principio, vt docuit Plato? Reſpondeo non, quia eorũ, quæ naturaliter ſcimus, non obliuiſcimur. Secundo, quia deficiente ſenſu a principio deficit ſcientia per talem ſenſum.

Dices, bona eſt ne ſententia Auicennę dicentis ſpecies fluere in noſtrum intellectum ab intelligentia vltima, ſed actualiter nos nõ poſſe cognoſcere propter aliquod impedimentum, ideſt immutationem corporalẽ? Reſpondeo non, quia non videtur ratio, cur anima debeat vniri corpori, ſi vnio impedit intellectionem.

Dices, ergo ſcientia ſi eſt per ſenſum, eſt de rebus ſingularibus? Reſpondeo maxime, quatenus reducuntur ad naturas vniuerſales; non enim eſt ſcientia huius equi, ſed equi.

*Finis Primi Libri Metaphyſicæ.*

Digitized by Google

# LIBER SECVNDVS METAPHYSICAE.

QVod facit aliquam dificultatē in hoc ſecundo libro eſt, quia docet Ariſtoteles non poſſe intelligi abſtracta, quod reliquit dubium, tertio de Anima, docet etiam tex. 16. quod demonſtrationes matemathicæ ſunt in primo ordine certitudinis, & naturales in ſecūdo, at hoc non eſt ita clarum, quia anima, vt diximus ſupra, excedit. verum quantum attinet ad primum dubium, dicit Auerroes non repugnare noſtro intellectui cognoſcere abſtracta, quia ſi eſſet aliqua repugnātia, maxime eſſet, aut quia intellectus eſt materialis, aut humanus, ſed non obſtat primū, quia eſt virtus imaterialis, quod probat Ariſtoteles, quia eſt totius entis; non vt humanus, quia ſi poteſt intelligere res materiales, quæ ſunt potentia intellectæ, multo magis

 poterit

Digitized by Google

poterit abſtracta, quæ ſunt actu; adde quod naturale eſt deſiderium, & deſiderium non poteſt eſſe fruſtra.

Quo ad ſecundum dubium, Reſpondendum demonſtrationes naturales, quibus aſſentiuntur plures ſenſus, eſſe maioris certitudinis, quàm illæ de anima, quia ſunt circa ſenſibilia; ſi vero attendatur certitudo penes abſtractionem mathematicę præcedunt: ſi penes iudicium ſic ſcientia de Anima, quia tractat de intellectu agente, & poſſibili, qui iudicat veritatem.

## Dubitationes.

Dices repugnat noſtro intellectui cognoſcere abſtracta, ideo docet Ariſtoteles ſecundo Metaphyſicę tex. primo oculos noſtros eſſe vt noctuę. Reſpondeo ſi repugnaret noſtro intellectui, etiam repugnaret cuicunq; intellectui, & ſic fruſtra eſſent intelligentię, quia non intelligerent. dictum autem Ariſtotelis intelligendum eſt ratione diſtinctę cognitionis, & immediate.

Dices, non valet conſequentia noſter intellectus non poteſt intelligere, ergo fruſtra ſuat intelligentiæ, quia intelligentiæ mouent cœlum; Reſpondeo valet conſequentia, quia etiam noſter intellectus eſt abſtractus,

ctus, & intelligentiæ mouent, quia intelligunt, ante enim mouere eſt intelligere.

Dices, dicunt Philoſophi ſcientiam de anima ſimpliciter eſſe nobiliorem ita Auerroes, Caietanus, ergo non eſt mathematica, vel naturalis. Reſpondeo intelligunt eſſe nobiliorem, quia nobilius eſt obiectum, quod nos non negamus.

*Finis Secundi Libri.*



Digitized by Google

# LIBER TERTIVS METAPHYSICAE.

IN primo capite facit quaſdã dubitationes Ariſtoteles, vt inquirat vniuerſalem veritatem, & dicit Metaphyſicã eſſe vniuerſalem ſapientiam eſſe de principijs aliarũ ſcientiarum, ad ipſam ſpectare omnia declarare, & determinare, & ideo debere procedere dubitatiuè, & vniuerſalia proponere.

In capite ſecundo quærit vtrum ad vnam tantum ſcientiam, vel ad plures ſpectet ſpeculari omnia genera cauſarum, & concludit Metaphyſicam conſiderare ſimpliciter, & vniuerſaliſſime, conſiderat enim finem aquiſitum, ſiue per motum, ſiue ſine motu, formas vero non ſolum, vt receptas in materia, ſed etiã abſtractas, efficiens vt eſt cauſa agens per intellectum, & non ſuppoſita materia, & materiam in quantum eſt pars

entis

entis diuiſi per actum, ac potentiam.

In capite tertio dubitat an ſpectet ad vnã, vel plures ſcientias cõſiderare de primis principijs demonſtrationis, quæ dicuntur communes animæ conceptiones, vt impoſſibile eſt eſſe ſimul, & nõ eſſe, & reſpondet ſpectare ad primam philoſophiã, quia etſi omnes vtantur eis, tamen non conſiderant de ente communi; hæc autem principia ſunt communia omni enti, & omni enti applicãtur, vt de qualibet ſubſtantia verũ eſt, quod eſt quanta, vel non quanta; de quolibet corpore, quod eſt corruptibile, vel incorruptile; de quolibet animali, quod eſt rationale, vel irrationale; quæ autem ſunt communia omni enti, ſunt conſiderationis Metaphyſicæ.

In Capite quarto quęrit an pertineat ad vnã, vel plures ſcientias tractare de omni ſubſtãtia, concludit eſſe Metaphyſicæ, quia etiam conſiderat de omni ente, exẽplificat de ſciẽtia medicinæ, quæ vniuerſaliter conſiderat de ſanitate, ſed principaliter de animali, ratio pro Ariſtotele poteſt eſſe, quia omnia dicũtur entia per comparationem ad ſubſtantiã, ſi ergo conſiderat de ente, cõſiderat de ſubſtantia; dicit ſecundo Ariſtoteles, quod ſicut multiplicatur ſpeculabile, vt ſpeculabile, ita multiplicantur ſcientię ſpeculatiuę; ſpecula-

bile autem in genere diuerſificatur tripliciter, quoniam quoddam abſtrahit ſimpliciter a materia omnino, quoddam ſecundum rationem tantum, quoddam nec ſecundum eſſe, nec ſecundum rationem, ſed tantũ abſtrahit a materia indiuiduali.

In capite quinto quęrit an ad eandẽ ſcientiam ſpectet ſpeculatio de ſubſtantijs, & accidentibus conſequentibus ſubſtantiam, & dicit pertinere, quia principia ſubſtantiæ sũt etiam principia ſuorum accidentium, a quocunque enim eſt ignis, eſt etiam calor, ſed quorum ſunt eadem principia, eſt eadem ſcientia, ergo.

In capite ſexto dubitat vtrum præter ſubſtantias ſenſibiles dentur aliæ ſeparatæ a materia. Reſpondet quod non, quia omne immateriale eſt immobile; deinde ponẽtes ſubſtantias inſenſibiles, quas dicunt ideas, ponunt impoſſibilia, nam, ſequeretur quod hic Homo eſſet corruptibilis, & per ſe hõ eſſet incorruptibilis, ſed corruptibile, & incorruptibile differunt genere, & non ſolum ſpecie, ergo non poſſunt, eſſe eiuſdem naturæ.

In capite ſeptimo quærit an principia rerum ſint genera, an partes, ex quibus res cõpoſitæ ſunt, ſicut elementa; ſecundo dato qđ genera ſint rerum principia, dubitat an illa ſint communiſſima; concludit genera, cum



Digitized by Google

ſint principia cognoſcendi, eſſe etiam eſſendi, quia idem eſt principium eſſendi, & cognoſcendi; quod autem ſint genera cognoſcendi patet, quia ex generibus dantur definitiones, & definitio indicat rei eſſentiam; quo ad ſecundum dicit nullum vniuerſale, vt vniuerſale eſſe alicuius cauſalitatis, niſi ratione alicuius ſingularis, homo enim non generat, niſi quia hic eſt, & quia Plato arbitrabatur communiſſima eſſe extra ſingularia, & eſſe principia, ideo deſtructo fundamento, quod deſtruetur in 10. libro, patet hoc eſſe verum, nullum vniuerſale, vt ſic, eſt principium.

In capite octauo quærit an vniuerſalia ſint principia, & illa ſint magis, vel minus vniuerſalia. Reſpondet quòd habetur ſcientia de naturalibus, quia intellectus intelligit vniuerſale ſine ſingulari, & ſic illa natura dicitur intelligibilis; quare præter ſingulare materiale, nullum erit ens intelligibile ſeparatum; ceſſat igitur ratio Dubij, quia vniuerſalia per ſe exiſtentia non dantur, ſi n. darentur, eſſent principia.

In capite nono quærit an omnium indiuiduorum ſit vna forma. Reſp. quod non, quia quorum eſt vna forma, non ſunt vnũ, ſed plura, at implicat eſſe vnum indiuiduũ; deinde non poſſet aſſignari ratio, cur talis

forma vniatur huic materie, & illa illi, nam in diſtinctis indiuiduis diſtinctæ ſunt materiæ, alias non different numero. adde quod forma eſt terminus generationis, quare plura indiuidua eſſent vnum indiuiduum genitum. ſecundo loco dubitat an principia omnium rerum ſint eadem genere, ſpecie, & numero. Reſpondet quod vnumquodque fit a ſuo vniuoco, vt homo ab homine, quare principium eſt idem ſpecie, nec inconuenit idem principium eſſe pluriū indiuiduorum, nam ſortes poteſt generare plures.

In capite decimo quærit, an ſint eadem principia rerum corruptibilium, & incorruptibilium; dicit quod non ex eiſdem principijs ſequitur idem effectus, quod ſi eſſent eadem principia omnium rerum, non poſſet aſſignari ratio, cur hoc ſit corruptibile, illud non. Aduerte tamen quod Deus optimus Maximus eſt principium omnium rerum, quia eſt vniuerſaliſſimum, & efficiens.

In capite vndecimo quærit vtrum vnum & ens ſint ſubſtantia rerum, vel non. Reſpōdet, quod vnum, & ens eſt idem, & ideo dicunt ſubſtantiam, quoniam prædicātur quidditatiuè, vnde de quolibet verum eſt dicere, quod ens vnum eſt. i. quod habet eſſentiam indiuiſam.

In capite duodecimo quærit an numeri,

&

& corpora, & ſuperficies, & lineæ, & puncta ſint ſubſtãtia rerum ſenſibilium; dicit quod non, quia principia componentia eſſent poſteriora & poſt compoſita, tota.n.ſubſtantia rei ſenſibilis eſt illud, quod reſſultat ex vnione formæ, & materiæ; & illud proprie eſt id, quod generatur, & corrumpitur, & ipſi adueniũt corporeitas, ſuperficies, lineæ &c. dimenſiones enim adueniunt ratione materiæ, qualitates ratione formæ, relationes vero cõſequũtur quantitatem, vel qualitatem.

In capite decimo tertio quærit, an præter res ſenſibiles ſint ponendæ ideæ, reſpondet quod non, quia ſequeretur, quod eſſet idem corruptibile, & incorruptibile, quia ponentes ideas dicunt hunc hominem, & hominẽ eſſe eiuſdem naturæ, ſufficit enim contra Platonem, quod hoc indiuiduum ſit ab hoc efficienti eiuſdem naturæ concurrenti vniuerſali primo.

In capite decimo quarto quærit, an prima principia ſint actu, vel in potentia. Reſpondet quod, cum principium ſit cauſa effectus, neceſſe eſt eſſe actu, quia nihil educitur de potentia ad actũ, niſi per aliquod exiſtens actu, vel formaliter, vel virtualiter.

In capite decimo quinto quærit, an principia rerum ſint ſingularia, vel vniuerſalia. Reſpondet quod ſubſiſtere conuenit tantũ

ſingulari, & ideo neceſſe eſt omne principium productiuum eſſe ſingulare, non enim actio verificatur de vniuerſali, non enim homo generat, ſed hic homo.

## Dubitationes.

Dices, ſi principia non ſunt vniuerſalia, ergo non ſunt ſenſibilia, ergo ſcientia erit de particularibus. Reſp. aliud eſt loqui de vniuerſali in prædicando, aliud in cauſando, ſecundo reſpondeo quod ſcientia etiam poteſt eſſe ſingularium incorruptibilium, quia ſunt entia neceſſaria, & non contingit ea aliter ſe haberi.

Dices, tex. 16. dicit nomina denominatiua ſignificare compoſitum, tamen non videtur verum, quia ſignificant formam, vt habetur ſeptimo Metaph. 14. Reſp. ex quinto Metaph. 14. quod nomina concreta primo ſignificant ſubiectum ſecundo formam, ſignificatur enim forma, quia eſt in ſubiecto deinde ſubiectum. abſo. . .

*Finis Tertij Libri.*



Digitized by Google

# LIBER QVARTVS METAPHYSICAE.

QVærit Ariſtö. in primo capite quale ſit obiectum, & dicit eſſe ens, vt ens, aliæ enim ſcientiæ abſcindunt ſibi partem entis, nam mathematica conſiderat numeros, & magnitudines. Phyſica &c.

In capite ſecundo dicit Metaphyſicam conſiderare de ſubſtantia, & accidenti, quia ens diuiditur in ſubſtantiam, & accidens.

In capite tertio dicit debere tractare de vno, & ſpeciebus vnius, ratio quia vnũ ſumptum tranſcendentaliter conuertitur cum ente: quod ſi dicas etiam logicum conſiderare ens, vt ens. Reſp. conſiderare quo ad prædicata intentionalia, quæ ſunt genus, ſpecies &c. ad Metaph. quo ad realia.

In capite quarto dicit Ariſt. quod Metaphyſica debet conſiderare de primis princi-

pijs,

pijs, quia nulla ſcientia, de ijs conſiderat, licet eis vtatur.

## Dubitationes.

Dices, dicit Ariſt. tex. ſecundo ſubſtantiā eſſe cauſam accidentium, non ſecundum finem & agens, ſed ſecundum materiam; at contrarium videtur eſſe verum, quia anima eſt cauſa corporis in triplici genere cauſarum. Reſp. ſubſtantia compoſita reſpectu accidentium concurrit vt ſubiectum, & materia, talia enim ſunt terminata, & non ſubiectantur niſi in compoſito, ſubſtantia vero, quæ eſt forma, poteſt eſſe cauſa in triplici genere.

Dices ſecundo, dicit Ariſt. quod ens, & vnum ſunt una natura; cōtra quia ens ex duodecimo Metaph. 21. non ſignificat aliquam naturam. Reſp. non dicit aliquam naturam diſtinctam realiter a ſubſtantia, vel accidenti.

Dices, conceptus entis eſt ne diſtinctus à ſuis inferioribus? Reſp. non, ſed ſi eſt aliqua diſtinctio eſt, quia vnum addit non quid reale, ſed negationem; quod autem ens verè dicat conceptum communem patet, quia de illo, vt ſic, demonſtrantur, paſſiones, vt videlicet quod ſit bonum, verum, &c. quare non

ſolum

ſolum voce, ſed ratione conceptus ſunt diſtincti a conceptibus inferiorum.

Dices, tex. 4. enumerantur ſcientiæ mediæ, vt muſica perſpectiua inter mathematicas. Reſp. medium harum ſcientiarũ non ſubalternari mathematicæ, licet ſint applicatæ materiæ ſenſibili, quare cum demonſtratio ſequatur formam, reducuntur ad Mathematica. in ſecundo vero Phyſicorum 20. intelligit Ariſtot. quod ſcientiæ mediæ ſint magis phyſicæ, quam puræ, mathematicæ ſint phyſicæ.

*Finis Quarti Libri.*



Digitized by Google

# LIBER QVINTVS METAPHYSICAE.

MVlta docet Ariſt. in hoc quinto libro, ſed quæ notatu ſunt digna, ſunt illa, quæ habētur tex. 3. decimo quarto, decimo ſexto, decimo octauo, 22. & 25.

Tex. tertio dicit principium materiale eſſe illud, quod demonſtratur, pro qua re intelligenda aduertè generationes attribui ſubiecto, ſicut domus fit ex lateribus, quod verũ eſt, quando priuatio latet, quod ſi manifeſta eſt attribuitur priuationi, nam magis propriè dicitur infirmus fit ſanus, quam homo diues fiat ſanus.

Quia Ariſt. in hoc quinto libro circa explanationem terminorum occupatur declarans, quid ſit hoc nomen principium, quid cauſa, quid elementum, quid natura, quid neceſſa-



Digitized by Google

ceſſarium; ideo tex.4. docet, quid ſignificet hoc nomen accidens, an videlicet primo ſignificet accidens, ſecundo ſubſtantiam, an vero ſignificat concretum, & dicit quod nomina ſignificant rem, vt eſt in actu; & quia duplex eſt actus, ſimpliciter ſignificatur primo forma, quæ eſt actu, ſecundo ſubiectum, ſubſtantia enim reſpectu accidentis eſt veluti materia: vel nota quod aliud eſt ſignificare abſolutè, aliud per ſe primo, concreta ſignificant vtrumque, ſed alio & alio modo.

Aliquam difficultatem habent illa, quæ leguntur tex. 16. vbi habet, quod in intellectu notius eſt vniuerſale, quam particulare, quod tamen non videtur verum, quoniam vniuerſale colligitur ex particulari. ex 12. Metaphyſicæ 4. verum aduerte quod loquitur hic de vniuerſali pro ſecunda intẽtione, repugnat enim ſingulare intellectui, non quidem vt ſingulare, ſed vt materiale, quia non eſt de primo intellectis, ſicut vniuerſale, contra nominales, & Burleum.

Tractat Ariſtoteles in hoc lib. tex. 18. de motu, & tempore, & dicit eſſe quanta per accidens, quod eſt verum in ratione menſuræ, quia illis, accidit menſura, ſed non eſt veru, ſi quidditatiuè ſumantur, quia ſunt quantitas, cum ſint ſecundum prius, & poſterius.

Tex.

Tex.22.dicit definitionem eſſe finem cognitionis,quod verum eſt quo ad ſimplicem cognitionẽ non vero demonſtratiuam, quia eſt principium illius.

Docet in tex. 25. compoſitionem eſſe iuxta poſitionem partium,quod ſano modo intellige,quia contrarium habetur primo de generatione 85. iuxta igitur poſitio erit ſolum conditio,& non formalis ratio.

## Dubitationes.

Dices, viditur docere Ariſt. tex. 6. immo clarè docet æterna non habere eſſe ab alio, at hoc eſt contra veritatem, & rationẽ,quia Deus Optimus Maximus eſt cauſa efficiens omnium rerum. Reſpondeo,æterna carent materia,quæ eſt radix contingentię,ideo nõ habent eſſe neceſſarium ab alio formaliter, habent tamen vt a fine,& efficiente.

Dices,quæ differentia eſt inter prius, & poſterius motus,& temporis? Reſpondeo, temporis quidditatiuè,motus ſubiectiue,motus, vt quantitatis, temporis, vt menſuræ. & nota quod tempus non menſurat eſſentiã motus,ſed quantitatem, quæ illi accidit, eſt enim motus,actus imperfectus,in mobili cui accidit,quantitas,qualitas,&c. quare eſt in quantitate motus,vt habet mẽſurari tẽpore.

Dices,

Dicés; quomodo motus, & tempus ſunt, quanta per accidens, cum ſint de genere continuorum, & tempus vere ſit quantitas. Reſpondeo, quantitas non eſt eſſentia motus, cuius ſignum eſt, quod non definitur per quantitatem, ſed eſt in genere actus medij inter purum actum, & puram potentiam, & continuatio velocitas, ſucceſſio, ſunt accidentia motus; ideo Ariſtoteles 4. Phyſicorum 115. dicit tempus non menſurare eſſentiam motus, ſed quantitatem accidentem motui, tempus autem addit ſupra motum menſuræ rationem, & ideo eſt quātum per ſe, licet dicat aliquando eſſe quantum per accidens, ſed intelligit, vt ſe declarat 4. Phyſicorum 99. pro quanto extenditur ad continuationem; & extenſionem motus.

Dices, motus eſt, ne continuus a ſpatio, vel a mobili? Reſpondeo a mobili, vel dici poteſt, quod motus habet duas partes, quædam ſunt ſimul, & iſte a mobili, quædam a ſpatio, & hæ ſucceſſiue, & hoc ē quod dicit tex. 78. motum eſſe continuum a ſpatio.

Dices, habet Ariſtoteles tex. 29. materiā eſſe genus altiſſimum, & trigeſimotertio materiam, & formam eſſe genere diſtinta adinuicē ſi hoc verū ē ergo prædicabilis eſt materia, ergo; & falſum quod dicit materiā,

L &

& formam eſſe eiuſdem generis. Reſpondeo, non eſt genus materia per prædicationem, ſed per reſolutionem nec materia, & forma ſunt diuerſa genere, & quia nihil ſubijcitur materiæ, & quia inuicem non alterantur, poſſunt tamen dici non eſſe in eodem genere prædicabili reductiue, vt ſunt propria prædicata ſubſtantiæ.

*Finis Quinti Libri.*



Digitized by Google

# LIBER SEXTVS METAPHYSICAE.

ARiſtoteles in primo capite tex. 1. diuidit ens, in per ſe, & per accidens, primo vero Phyſicorum tex. 6. in infinitum, & finitum. tertio Phyſicorum tertio, in actum, & potentiam quinto vero Metaphyſicæ in decem prædicamenta, huius diuerſitatis eſt ratio, quia alia eſt diuiſio in partes ſubiectiuas, quomodo diuiditur in decem genera, alia in paſſiones, & ſic in vnum, & multa neceſſarium, & contingens, alia in modos, ſiue differentias analogicas, & ſic in actum, & potentiam, alia etiam eſt diuiſio vocis æquiuocæ in ſuas ſignificationes, & ſic diuiditur in ens in anima, & extra animam.

Ariſtoteles docet in tex. ſecundo, quædã, vt quod formæ ſunt, vt ſimum: Mathemati-

cā vero, vt cōcauum; ex quibus colligitur non poſſe concipi formam ſine materia, & tamen verum eſt, quod forma per ſe poteſt concipi: quare aduerte, quod aliud eſt definiri, aliud abſtrahi, poteſt concipi vnum ſine alio, & abſtrahi ſed non eſſe.

Tres eſſe partes phyloſophiæ, naturalem mathematicam, & metaphyſicam docet, & triplicē modū definiendi, ita tex. ſecundo, & nota, quod cōſideratio particularium quidditatum poteſt conſiderari ſub generalibus rationibus, & talis conſideratio eſt pars diuinæ phyloſophiæ, quia hæc cōſiderat ens, vt ens, ſed ſi conſideretur ſub rationibus particularibus, ſpectat ad hanc vel illam ſcientiam.

## Dubitationes.

Dices, quomodo ſcientia particularis diſtinguitur a Metaphyſica, cum & illa ſit particularis, vtpote, quia verſetur circa ens abſtractum, ſempiternum, quod etiam determinatum eſt genus entis, ſicut eſt ens inſeparabile? Reſpondeo entia abſtracta ſunt principia, & cauſæ totius entis, quare Metaphyſica conſiderat omne ens, poteſt etiam dici, quod non ſolum conſiderat abſtracta, & immobilia, ſed etiam ens, & vnum, & bonum,

quæ

Digitized by Google

quæ non ſunt neceſſaria in materia.

Dices, de ente per accidens eſt ne ſcientia? Reſpondeo de ente per accidens, vt reducitur ad ens per ſe eſt ſcientia, ſed non ſecundum ſuam naturam; quia de ipſo non poteſt dari certa regula, ſecundo dici poteſt, quod eſt eo modo de ente per accidens, quomodo eſt de vacuo, & infinito.

Dices, in propoſitione eſt ſubiectum, & prædicatum, intelligit ne intellectus ſeorsũ, vel coniunctim, & ſubiectum, & prędicatum, vt ens eſt vnum, &c. Reſpondeo ſi intelligit, per modum vnius, vt componitur propoſitio, intelligit vt vnum, ſi vero, vt ab inuicem diſtinguuntur, vt plura.

Dices, verum, & falſum ſunt ne in rebus, vel in intellectu? Reſpondeo in cognitione, nam ſi res cognoſcitur, vt eſt, eſt vera cognitio, cognitio autem eſt in cognoſcente, ſicut viſio in vidente.

*Finis Sexti Libri.*



Digitized by Google

# LIBER SEPTIMVS METAPHYSICAE.

PAuca videnda ſunt ſuper librũ ſeptimum Metaphyſicę, & quidem aliquam difficultatẽ faciunt, quę habentur tex. 10. 18. 28. 44. dicit enim, tex. 10. ſingularia eſſe notiora vniuerſalibus, contrarium habetur primo Phyſicorum 4. dicendum igitur ſingulare eſſe notius vniuerſali in cauſando, vel eſt notius nobis. tex. vero 18. dicit, quod illa diuerſa ſunt, quæ diuerſam habent materiam, vt Socrates, & dicere alias vbi videtur principiũ idiuiduationis eſſe materiam, dicendũ materiam eſſe cauſam diſtinctionis, & multitudinis numeralis, ſed cauſa diſtinctionis, & multitudinis in numero eſt a forma. tex. 44. dicit indiuiduum non eſt niſi forma, & materia, ergo ſi hoc verum eſt, ſequitur compoſitum non diſtingui a partibus componentibus,

tibus, ſed reſponderi poteſt, quod non eſt aliud integratiue, ſed entitatiue vel dictum eſt contra Platonem, qui dixit ad generationem compoſiti neceſſariam eſſe ideam ſeparatam.

## Dubitationes.

Dices, Ariſtoteles tex. 58. nullum commune eſſe ſubſtantiam dicit. at hoc videtur falſum, quia definitiones ſunt vniuerſalium. Reſpondeo loquitur ad modum Platonis, nam ſecundum Ariſtot. vniuerſale nõ habet eſſe extra aiam, ſicut poſuit Plato.

Dices, vniuerſale dicit ne formam diſtinctam a forma particulari? Reſpondeo non ſed dicit cõceptum realem, qui eſt notio ſingularium, & eſt forma declarans, & non dans eſſe.

Dices, eſt ne vna forma generis, ſpeciei, & indiuidui? Reſpondeo ſic ſecundum rem, ſolum eſt differentia rationis, ideo Ariſtot. 1. Metaph. 17. dicit, quod prius natura materia recipit formas uniuerſales, quam minus uniuerſales, & eis mediantibus particulares, noſtro etiam modo concipiendi prius materia habet eſſe ſubſtantię quam corporis, & corporis quam uiuentis.

*Finis Septimi Libri.*



Digitized by Google

# LIBER OCTAVVS METAPHYSICAE.

TRactat Ariſtot. in hoc libro de materia, & forma, vt inſunt ſubſtantiæ ſenſibili, & q̃ conſideranda ſunt a primo philoſopho de materia, & forma, & quando tractet metaph. de ipſarum vnione, quæ omnia quoniam alibi ſæpe vidimus pro nunc tractare ex profeſſo relinquemus, & agemus de ſubſtantia, an dicatur magis de genere, vel de ſpecie, an de materia, an ſit elementum, vel ex elemento, & tãdem an forma recipiat magis, & minus, de qua re eſt maxima difficultas, in hoc ſignando modo; dico igitur primo quo ad ſubſtantiam, quod Alexander libro de ſenſu dixit qualitates in elementis eſſe ſubſtantias, quia dixit Ariſtot. has qualitates eſſe differentias elementorum, verum communis eſt ſententia phyloſophorum eſſe accidentia, quia

Ariſt.

Digitized by Google

Ariſtotel. libro de ſenſu, dicit ignem, calefacere, non vt ignem, ſed vt calidum: ſi igitur alicubi inuenitur apud Ariſtot. eſſe differentias, vt ſecundo de generatione, 6. & 3. Cœli 30. debes intelligere, quatenus elementa conſiderantur, non ſecundum ſua principia eſſendi, ſed ſecundum eſſe actiuum, vel paſſiuum.

Quo ad ſecundum dico, quod materia non eſt elementum, neq; ex elemento, quod 5. Metaph. tex. 4. legitur contrarium, id eſt, quia elementum eſt quoddam vniuerſale omnibus corporibus tam compoſitis, quam ſimplicibus, & quoniam materia eſt ſubiectum omnium formarum dicitur eſſe elementum, quod tamen non eſt corpus ex primo phyſic. 63. 12. Metaph. 14.

Quo ad tertium dico formas non recipere magis & minus, vt habetur in hoc libro tex. 10. verum hoc fallit in elementis, quia ſunt medium quoddã, & magis conueniunt cum materia, quam aliæ formæ: nota tamẽ, quod iuxta ſententiam Auerrois tertio cœli 77. formæ licet ſecundum ſe non recipiant magis, & minus, quia vnus homo nõ eſt maioris humanitatis, quam alius, recipiunt tamen vt ſunt in materia, ideo dixit Ariſtot. in ethicis aliquos homines eſſe arbores, aliquos brutales, intellectuales, terreſtres Deos, hinc

eſt

eſt vt dicunt Theologi animam Chriſti in puris naturalibus fuiſſe perfectiorem anima Iudæ.

## Dubitationes.

Dices, intenſio formæ accidentalis, vel elementalis fit ne, per additionem, vel radicationem,&c. Reſp. Ariſt. 4. phyſicorũ 84. dicit fieri, additionem non partis in toto, ſed agentis in paſſum, D. Tho. dicit fieri per radicationem, quia eſſe accidentis eſt ineſſe, & magis eſſe, eſt magis ineſſe. Scotus dicit fieri per additionem graduum, qui inter ſe differũt numero per ſuas, hæc eſtates ego dicerẽ fieri per partes, dictum autem Ariſt. 4. phyſicorum intelligitur quando additio fit ab extrinſeco quod eſt verum.

Dices, quomodo forma, & materia ad inuicem vriuntur, ſine medio colligãte? Reſp. quod fiunt vnum ſe ipſis, non enim ſunt vt genera, quæ non deſcendunt ad ſpecies, niſi per differentias.

Dices impoſſibile eſt duo diuerſa vniri ſine medio, non enim frigidum, & calidum ſunt ſine medio, ſed materia, & forma ſunt diuerſa. Reſp. non ſunt diuerſa actu, quia materia eſt potentia, frigidum autem & calidũ

ſunt

Digitized by Google

ſunt Antiqui autem errarunt, quia arbitrati ſunt formam, & materiam, animam, & corpus eſſe duo in actu.

*Finis Octaui Libri.*



Digitized by Google

# LIBER NONVS METAPHYSICAE.

IN libro nono Ariſtot. tractat de potentia & actu, quot modis dicatur, quomodo diuerſificentur, potentiæ reſpectu obiectorum quomodo potentia præcedat, vel ſubſequatur actum, quomodo potentiæ rationales, & irrationales reducantur ad actum.

Aliquam difficultatem facit id quod dicit in principio, formas ſeparatas a materia eſſe tantum agentes, quod non videtur verū quia anima recipit, ſed aduerte quod forma ratione potentiæ dicitur pati, cum ſecundū ſe ſit actus, aduerte etiam quod duplex eſt paſſio, vna particularis, alia vniuerſalis: primo mō quælibet forma dicitur eſſe paſſiua

ex eo quod inſequitur materiam, ſecundo modo intellectus poſſibilis, qui recipit ſpecies, & primo modo forma cœli mouet vt in materia mouetur, ita primo coeli 22.

Differentia eſt inter potentias rationales, & irrationales, quod illæ ex natura ſunt indeterminatæ ad agendum, duo contraria ſimul vel æqualiter, ſed irrationales vnũ per ſe, aliud per accidens, aut vnum ex principali intentione, aliud vero ſecundario, ſic calidum per ſe calefacit, per accidens infrigidat, ſic grauitas eſt per ſe cauſa quietis, motus vero ſecundario.

Potentia ſubiectiua, & obiectiua, eſt eadẽ ratione, reſpectus ad ſubiectum, & formam, vt eſt ab agente, & diſtinguitur ſolum ratione, in Theologia tamen ſimpliciter, quia aliquid eſt poſſibile, reſpectu agentis, quod nõ eſt ratione paſſi ideo docet Scotus quod potentia obiectiua, & ſubiectiua differunt realiter.

## Dubitationes.

Actus eſt ne prior potentia? Reſp. ſic, quia potentia definitur per actum, ſiue in ordine ad actum, potentia enim actiua per hoc definitur quod eſt principium transmutandi aliud, & paſſiua per hoc, quod eſt principium

Digitized by Google

pium tranſmutandi ab alio.

Dices, potentia poteſt ne eſſe prior actu? Reſp. poteſt, quantum ad idem numero, licet ſit poſterior, quantum ad idem ſpecie, omne enim, quod reducitur de potentia ad actum, prius eſt potentia.

Dices, abſolute loquendo, quid eſt prius actus, vel potentia? Reſpon. in generalibus actus eſt poſterior generatione, & tempore, ſed perfectione eſt prior ſicut finis, actus enim eſt finis potentię.

Dices, finis potentiæ eſt ne operatio, vel operatũ? Reſp. in quibuſdam eſt operatio, vt intellectus intelligere, viſus videre, in quibuſdam eſt operatum, vt pictoris pictura, primæ manent in operante, non ſecundę nam operatio eſt perfectio operantis, ſecundæ vero perfectiones operati, hinc concludit Ariſtot. felicitatem eſſe actionem imanentem, & eſſe ſpeculationem circa diuina.

Dices, eſt ne melior actus vel potentia. Reſp. actus ĩ bonis eſt ſimpliciter melior, cũ potentia enim ad bonum ſtat malum, nam potens eſſe virtuoſus poteſt etiam eſſe vitioſus, non ſic in actu; ſi vero loquamur in malis, actus eſt peior, quia cum actu malo non admiſcetur bonum, cum potentia uero ad malum ſic; actus enim malus eſt ſimpliciter

ma-

Digitized by Google

malus, potentia vero ad malum, non ſimpliciter.

Dices, malum ſequitur potentiam, ſed in æternis non eſt potentia, ergo non eſt malũ, & tamẽ Luna eclipſatur. Reſp. eſt malũ quo ad accidentia, non quo ad ſubſtantiam, quo etiam modo theologi concedunt actum malum in intelligentijs.

Dices, abſtracta ſunt ne neceſſaria? Reſp. maxime, quia ſi haberent potentiam paſſiuam, eſſent corruptibilia, ſunt enim ſemper in actu, & verum in illis inuenitur in quantum ſunt actu.

*Finis Noni Libri.*

# LIBER DECIMVS METAPHYSICAE.

ADuertendum, quod ens & vnum, de quibus Ariſtot. in hoc libro, ſunt idem, ſi ſumatur illud idem pro natura ſignificata, non pro ſignificatione; nam plura poſſunt dici vnum ſubiecto, quę tamen ſunt diſtincta, ideo primo phyſicorum. 21. reprehendit antiquos, quòd ſemper arbitrentur ens & vnum idem ſignificare.

Vni vnum eſſe cõtrarium docet hic tex. 14. & 1. Cœli decimo: ſed nota, quod etiam vni plura poſſunt eſſe contraria ſicut igni aqua & terra, quia elementa poſſunt conſiderari, ſecundum qualitates primas, vna tamẽ ratione impoſſibile eſt vni plura eſſe contraria.

LIBER

# Dubitationes.

Dices, contraria poſſunt. ne eſſe ſimul? R. ſp. Burleus ex eo quod dicit tex. hic tex. 3, colores non componi ex albo, & nigro tamquã ex duobus principijs motus, eſt dicere, non poſſe eſſe ſimul, ego dicerem non componi ex duobus principijs menſurantibus perfectionem, cum vnum contrarium ſit priuatio alterius, & ratio menſuræ non conſiſtat in priuatione, ſed habitu, quare poterũt eſſe ſimul in illo gradu, in quo habent contrarietatem.

Dices, quomodo intelligitur illud dictũ, 5. Phyſicor. 10. quod contrarietas in loco eſt cauſa contrarietatis in ſubſtantia? Reſp. in ſubſtantia nulla eſt contrarietas contra Alexandrum. ignis auteſt eſt contrarius aquæ, quantum ad qualitates, & ſic contrarietas in loco eſt cauſa contrarietatis in ſubſtantia, non quantum ad eſſe ſubſtantiale, ſed qualitatiuum.

*Finis Decimi Libri.*



Digitized by Google

# LIB. VNDECIMVS METAPHYSICAE.

DOcet Ariſt.tex.11. quod infinitum non eodem modo eſt in magnitudine motu, & tempore, vnde videtur colligi motum eſſe continuum, & infinitum ex parte magnitudinis, non uero mobilis, ſed nota quod motus habet duas partes, quædam ſunt ſimul, & ſic motus eſt à mobili, vt habetur ſecundo de generat. 62. quaſdam habet in ſucceſſione exiſtentes, ſecundum quas menſuratur a tempore, & ſic a magnitudine, ſed hoc lege 6. Phyſic.

## Dubitationes.

Dices, in diuiſione continui tandem deuenimus ad partes indiuiſibiles; ſi ergo motus tempus, & magnitudo ſunt infinita, & diuiſibilia in infinitum, dabitur indiuiſibile, vel



Digitized by Google

vel certe minimum. Reſpondeo de indiuiſibilibus dictum eſt in phyſicis: quo ad minimum. Reſpondeo dari quidem primum in motu, non vero primam qualitatem introductam, quia ſemper eſt cum reſiſtentia. dico ſecundo non eſſe poſſibile minimum paſſibile, quia tale corpus eſt, quod ſi patiatur minima caro non eſt per ſe, ſed quia eſt in alio, vt pars in toto, ſunt enim omnes partes ſimilares.

Dices, in quo differt vnitas a puncto. Reſpondeo vnitas dicit indiuiſibilitatem punctus addit determinatum ſitum in continuo, & ratione huius tangitur planũ a ſphęra in pũcto, non ſic vnitas tangit vnitatem, quia ſi tangeret cum conſtituat numerum, numerus eſſet quantitas continua.

*Finis Undecimi Libri.*

# LIBER DVODECIMVS METAPHYSICÆ.

ARiſtoteles in hoc libro agit de intelligentijs, quæ motu cœli cauſant hæc inferiora, & de Deo Optimo Maximo, qui eſt cauſa vniuerſaliſſima rerũ omniũ, ſed nos hæc omnia breuiter tribus, vel quatuor dictis explicabimus.

Aduertendum igitur, ex tex. 29. quod poteſt declarari propoſitionibus communibus naturali, & diuina dari intelligentias; nam poſtquam Metaph. accepit a naturali dari declarat, quomodo prima ſubſtãtia ſit finis, & forma omnium entium, & ſic declaratur a diuino eſſe principia ſubſtantiæ in ratione finis formæ eſt efficientis.

Aduertendum ſecundo æterna eſſe in potentia, ſed non Phyſica, quoniam hæc conſequitur materiam, ſed Logica citra primã tamen ſunt etiam in potentia Phyſica ad

vbi

vbi corpora æterna, immo omnes intelligẽtiæ, excepta prima, & omnis præter Deum eſt priuata in ratione entis aliqua perfectione.

Aduertendum tertio in æternis ſecundũ ſententiam Auerrois lib. deſtruct. diſputatione 17. non eſſe voluntatem, quia nouum ab antiquo proueniret, ſed decipitur, quoniam ſicut inclinatio conſequitur formam, ita voluntas intellectum; erit igitur voluntas, vt cognoſcens, ſed non vt deſiderans quatenus deſiderium eſt duorum oppoſitorum.

Aduertendum Ariſt. tex. 37. dicere ſolicitari Deum circa indiuidua ſub ratione ſpeciei, & non indiuidui, ſed decipitur, quia ſecundum Theologos habet prouidentiam omnium rerum in particulari, deinde ſi ſecundum ipſum ſcientia Dei non eſt, vniuerſalis, nec particularis, quomodo intelligit ſub ratione ſpeciei, poſſet tamen dici ad mẽtem Ariſtotel. intelligere in ratione ſpeciei, quia ſolus concurrit ad gradum entis, ſed ad indiuidua concurrit etiam agens materiale.

Aduertendum in cęlo eſſe duos motores, vnum virtutis finitæ, qui eſt propria forma, alterum infinitę qui eſt Deus, ſumitur enim cœlum pro aggregato omnium orbium, &



Digitized by Google

dicitur eſſe, ut animal, cuius motus princi-paliter eſt in corde, cœlum igitur mouetur a Deo, qui eſt principium, & cor, reliqui motores dependent ab illo, ſicut membra a corde, & iſti ſunt uirtutis finitæ, quia ſunt applicati ſuis orbibus, mouent tamen æterno tempore, quia habent finem ſempiternum ſemper mouentem, qui dicitur motus ſeparatus.

## Dubitationes.

Dices, Ariſtot. tex. 41. dicit in cœlo non eſſe potentiam, niſi ad quietem, at hoc uidetur eſſe cõtrarium ſcriptis nono Metaphyſicæ 19. & 7. Phyſicorum 2. & 6. phyſicorum 15. Reſpondeo cœlum non habet potentiam ad corruptionem, ut eſt corpus ſimplex carẽs materia ſublunari, ut uero eſt corpus ſimpliciter habet potentiam Logicam: cœlũ enim pro orbe, & corpore poteſt quieſcere, quia motus, & ſucceſſio non dependent niſi ab intelligentia totaliter cauſante entitatem motus.

Dices, uidetur Ariſt. dicere tex. 63. quod illa, quorum nobilitas conſiſtit in actione, ſunt diminuta. ergo Deus eſſet diminutus, qui

qui mouet Cœlum. Reſpondeo duplex eſt actio vna, quæ eſt indiſtincta a propria eſſentia quæ eſt ſolius Dei, alia, quæ eſt diſtincta, & de hac Ariſt.

Dices, quare non ſunt plures mundi. Reſpond. eſſent plures mūdi ſi eſſent diſtincti ſpecie, vel numero, ſi ſecundum darentur plures motores eiuſdem ſpeciei, & numero diſtincti, ſed hoc eſt impoſſibile, quia, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, & diſtincta numero habent materiam, ſed primus motor eſt immaterialis ergo. tantum igitur vnus motus vnum primum mobile, & conſequenter vnus mundus, ſi autem eſſent plures re, & ſpecie diſtincti, mundus eſſet quoddam æquiuocum æquiuocatione phyſica, & agregatum per accidens.

Dices errata in hoc lib. quomodo emendanda. Reſpondeo hoc modo. ſic igitur lege pag. 15. peſpectiua 17. frangatur brachiū. 24. quod recipi poteſt. 26. eſt motus. quæ ſeiuncta non ſunt. 29. vacuum corpus eſſe. 29. contiguitas. 30. quo numeramus. 60. traſmittatur. 86. eouſque. 89. de cometa. cap. 8. de pluuia. cap. 10. de rore. cap. 11. pag. 96. immitatur igitur. 103. concreſcunt, & conflantur. 105. putrefactio. 107. radio directo. 110. quintuplex. 110. Theologia.

117. hæc in ſpecie. 128. lupo. 129. immixtum. 131. putri. 140. repræſentat. 154. ſcibilia. 170. heceitates.

*Finis Duodecimi, & vltimi Libri Metaphyſicæ.*



Digitized by Google

# PROPOSITIONES VNIVERSALES IN PHILOSOPHIA.

ACCIDENTIVM ſubiectum eſt ens in actu, ſed terminatorum, nam eſt idem ſubiectum accidentis, & ſubſtantiæ, ſolum eſt differentia, quod ex hoc cum illa non cum accidente, fit vnũ in actu. primo de generatione 14.

Accidentia in fieri præcedunt formam, non in facto eſſe.

Accidentia ſunt in genere cauſæ finalis à forma, quæ eſt ratio propter quam recipiuntur in materia, & ſubſtantia compoſita concurrit in generatione accidentium, vt ſubiectum, & vt materia, quia non ſubiectatur niſi in compoſito 2. de anima. 36.

Acci-

Accidentia numero diſtincta nō poſſunt eſſe in eodem ſubiecto, 5. Metaph. 7. quod vero docet Galenus febrem ethicam, & putridam eſſe ſimul, dicendum eſſe vnam numero caliditatem & genera febrium, non diſtingui penes calorem, ſed diuerſitatem materierum, in quibus eſt eſſe calefactum, nam eadem caliditas ſecundum diuerſos reſpectus cauſata ab humore putrido, eſt putridinalis, qua ſublata manente caliditate in mēbris dicitur deinde ethicalis.

Accidentia copulata cum fiant determinate circa hoc, vel illud ſubiectum, vt riſibile, rudibile, ſimum, aquilinum, criſpum, non poſſunt ſine illo eſſe, neque intelligi, quia ſicut maſculinum, fœmininum non poſſunt intelligi, ſine animali nec definiri, ita neque iſta: aliter dicendum de ſimplicibus, quæ nō determinant ſibi ſubiectum.

Actio, & paſſio eſt in materia, vt ſubiecti, non vt agentis & operantis.

Alexander vult omnes formas materiales etiam animam hominis, & brutorum, eſſe cauſatas ex mixtione elementorum, ſed contra eſt, quia hoc poſitum eſt negantium agens, & concedentium ſolam materiam, & omnia fieri caſu.

Alteratio eſt in parte intellectiua, ratione virtutis ſenſitiuæ, quæ eſt ei coniuncta,

ex

ex parte, qua tangit ipſam.

Anima eſt immortalis, quia principium indiuiduationis, eſt materia ſignata; quare anima, vt eſt vnibilis huic materiæ recipit indiuiduationem, & ſeparata, non perdit; nam ſemper retinet, quod ſemel aquiſiuit.

Anima ex primo de partibus, non eſt conderationis phyſicæ, quia virtutes naturales, vel ſunt corpora, vel non ſine corpore, intellectus autem non eſt. & diuinus quãuis conſideret omnem intellectum, non tamen conſiderat omne intelligibile, niſi ſub ratione tranſcendenti.

Anima non eſt ſine corpore. primo de anima, 23. ſed intellige de vegetatiua, & ſenſitiua, non de intellectiua, quę ſeparatur, vt perpetuum à corruptibili.

Anima non ita proprie mouet corpus, quia forma in mouendo mouetur; forma vero abſtracta non mouetur. ita Alex. primo de anima. 37.

Apes, formicæ, & cæt. agunt ſine cognitione finis rei actæ habent tamen cognitionem eorum, quę ordinantur ad finem 2. phyſicorum 80.

Aptitudo, vt v. g. poſſe numerari, inſequitur naturas, ſed in ordine ad animam, ſic collige quomodo tempus pendeat ab anima.

Aſtrologia abſtrahit a motu 2. phyſic. 18.

quia

quia non demoſtrat per medium naturale, conſiderat tamen in ratione materiæ, licet non formæ, ideſt ſecundum velocitatem, & tarditatem.

Aſtrologia conſiderat figuram determinati corporis, ad differentiam geometriæ, quæ in communi.

Auerroes dicit, quod omnes formæ animatorum, & anima uegetatiua hominis, & omnes inferiores ſint eductæ de potentia materiæ, & mixtionem elementorum ſe habere, vt cauſam materialem, virtutem vero formatiuam in ſemine eſſe, vt efficiens, ſed talem virtutem rememorari ab intelligentia ſeparata, quæ eſt motor, ſic intellige, quando dicit vltimas perfectiones animæ eſſe a motu extrinſeco ſed decipitur.

Augmento debetur motus localis, nõ per ſe, ſed conſecutiuè, quia corpori debetur locus, & non qualitati. 4 phyſi. 199.

Auicenna dicit, cœlum eſſe animatum, quia intelligentia non poteſt intelligere ſingular. 12. Met. 51. at hæc circulatio eſt ſingularis, ergo datur imaginatiua ſed decipitur.

Auicenna ſicut & Plato poſuit motorem ſeparatum, qui ſit cauſa adæquata formarũ, ſed contra eſt, quia ſequeretur non eſſe opus materia in generatione, & tamen ex illa producitur forma.

Bo-

Digitized by Google

